

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio I.  
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція I.

---

ANTONIUS MYCHALSKYJ

**“LIBER DE FIDE” PSEUDO-NATHANAEUS  
FONTES ET ANALYSIS**

ED. 2

ROMAE, 1967

---

PP. BASILIANI, VIA S. GIOSAFAT, 8 (PIAZZA S. PRISCA), AVENTINO

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI  
SECTIO I

Series II. — «ANALECTA OSBM» — «ЗАПИСКИ ЧСВВ» — Серія II.

---

*Sectio I:*

# OPERA

vol. XXI

ANTONIUS MYCHALSKYJ

“LIBER DE FIDE” PSEUDO-NATHANAELIS

ROMAE

Series II. — « ANALECTA OSBM » — Sectio I.  
Серія II. — « ЗАПИСКИ ЧСВВ » — Секція I.

---

ANTONIUS MYCHALSKYJ

**“LIBER DE FIDE” PSEUDO-NATHANAELIS  
FONTES ET ANALYSIS**

ED. 2

ROMAE, 1967

---

PP. BASILIANI, VIA S. GIOSAFAT, 8 (PIAZZA S. PRISCA), AVENTINO

IMPRIMI POTEST

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 23.V.1967.

P. Athanasius G. WELYKYJ, OSBM.  
Protoarchimandrita

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 26.5.67.

✠ ALOYSIUS Card. Vicarius

1580 - 1623

SANCTO . IOSAPHAT  
MARTYRI

FIDEI . UNITATISQUE . STRENUO . DEFENSORI  
PRIMO . SAECULO . EXEUNTE  
EIUS . IN CATALOGO . SANCTORUM . INSCRIPTIONIS  
DEVOTE . DICAT

AUCTOR



## PRAEFATIO

*De operibus polemicis anticatholicis exeunte saec. XVI et saec. XVII, quo scilicet magnae controversiae de Ecclesiarum Unione agitabantur, multum Auctores insudabant multasque disquisitiones, temporis decursu, in lucem ediderunt. Hucusque tamen aliqua extant monumenta hujus polemicae, quae explanationem et nunc temporis requirunt.*

*Ad hujusmodi monumenta « Liber de Fide » qui in bibliographia « Knyha o viri Natanajila » vel simpliciter « Knyžyca Natanajila » nuncupatur, pertinet. Hoc opus, cujus auctor nobis adhuc ignotus remanet, etsi anno 1644 exaratum, spectato tamen argumento, inter opera primae periodi polemicae de Unione adsignandum est. In illo quasi summa doctrinae « Orthodoxorum », in polemica cum Catholicis Ucrainae et Alborutheniae agitatae, continetur. Itaque utile fore duximus pro historia litteraturae polemicae in Ucraina et Alboruthenia in genere et pro historia theologiae « Orthodoxorum » in specie, analysim cum inquisitione de fontibus hujus libri instituere.*

*Dissertatio nostra in duas dividitur partes. Principium divisionis ab externis sumpsimus. « Liber de fide » nempe sensu proprio compilatio quaedam ex operibus aliorum auctorum considerari debet, quare utile, immo necessarium visum est in prima parte nostri laboris, introductione praemissa, conspectum generalem in historiam et indolem operum, quae tamquam ejus fontes directi vel indirecti extiterunt, adumbrare. In secunda vero parte, analysim « Libri de fide » instituimus. In introductione perbrevis historiam polemicae contra Latinos periodi antiquioris adumbravimus.*

*Novissime, omnibus gratias persolvere volumus, qui nobis quomodocumque in compositione hujus opusculi auxilium praebuerunt. Singillatim vero gratias agimus Reverendissimo P. S. TYSZKEWICZ, S. J., pro argumento quod nobis suasit praetiosisque indicationibus; necnon Professoribus nostris: Reverendissimis PP. M. JUGIE, A. A., D. STIERNON, A. A., F. CALLAËY, O. F. M. Cap. et Reverendissimo Domino J. VODOPIVEC, qui omnes in dissertatione conficienda sedulo nobis adfuerunt.*

*Liceat insuper nobis gratias agere et Reverendissimo P. A. G. WELYKYJ, O. S. B. M., qui saepe saepius auxilium et hoc maximi momenti, praesertim nunc in opere edendo, nobis attulit. Item R. P. Hlib G. Kinach, O. S. B. M., qui nobis, negotiis curae animarum*



*distractis, adiutricem porrexit manum, Indicem nominum et rerum apparando.*

*Tandem, cum nostro « velle » communitas paroecialis Derbensis et Nottinghamensis Ucrainorum in Anglia suum addidisset « posse », ut opus hoc in lucem tandem aliquando prodiret, gratum incumbit nobis officium, ut ipsi hic publice gratum exhibeamus animum. Quam grati animi manifestationem aptius demonstrare non valuimus, nisi nostram operationem benignamque aliorum cooperationem Illi dicemus, qui olim fidei catholicae et ecclesiasticae unitatis in terris Ucrainae redintegrandae strenuus fuit propagator et defensor, etiam per vitae suae oblationem, quam Ecclesia Catholica reverenter acceptando Deo obtulit in hostiam pacis et concordiae ipsiusque nomine in catalogo Sanctorum inscripto (1867). Nostrum hoc opus de « libro de fide » vitae, sanctitati et operae S. Josaphat clariorem affert lucem eiusque illustrat fidem, quam unam et unicam in Christum credentium fieri a Deo Omnipotenti humillimis expostulamus precibus.*

A. MYCHALSKYJ

## INDEX RERUM

<i>Praefatio</i> . . . . .	7
<i>Index rerum</i> . . . . .	9
<i>Index fontium et bibliographiae</i> . . . . .	11
<i>Abbreviationes et Siglae</i> . . . . .	14

### PARS PRIMA

#### DE OPERIBUS POLEMICIS CONTRA LATINOS IN GENERE

INTRODUCTIO - DE VETERO-UCRAINICIS OPERIBUS POLEMICIS . . . . .	17
CAPUT I - DE OPERIBUS POLEMICIS ANTE UNIONEM BERESTENSEM	
Art. 1 - Initium activitatis polemicae . . . . .	26
Art. 2 - Quaestio de reformatione Calendarii et opera Herasimi Smotryckyj atque Basilii Surazskyj . . . . .	28
Art. 3. - Quaestio de Antichristo et scripta polemica Stephani Zizanii	31
CAPUT II - DE OPERIBUS POLEMICIS POST UNIONEM BERESTENSEM	
Art. 1 - Polemica de legitimitate Unionis Berestensis . . . . .	38
Art. 2 - De Johanne Vyšenskyj et Georgio Rohaty nec polemistis anticatholicis . . . . .	42
CAPUT III - DE MELETIO SMOTRYCKYJ ET ZACHARIA KOPYSTENSKYJ - POLEMISTIS ANTICATHOLICIS	
Art. 1 - De operibus polemicis anticatholicis M. Smotryckyj . . . . .	49
Art. 2 - De Z. Kopystenskyj prout polemista anticatholico . . . . .	55

### PARS SECUNDA

#### DE « LIBRO DE FIDE » NATHANAELIS

INTRODUCTIO - « LIBER DE FIDE » NATHANAELIS . . . . .	61
CAPUT I - NOTITIAE BIO-BIBLIOGRAPHICAE	
Art. 1 - Quaestio de Auctore . . . . .	65
Art. 2 - Recensiones textus et historia primae editionis . . . . .	67
Art. 3 - Rationes et dispositio materiae . . . . .	70
CAPUT II - TRACTATUS HISTORICI	
Art. 1 - De Conciliis Oecumenicis . . . . .	75
Art. 2 - De schismate Latinorum . . . . .	81
Art. 3 - Exordia christianae Religionis in antiqua Rus' . . . . .	82
Art. 4 - De Unione Berestensi . . . . .	86

CAPUT III - ANALYSIS TRACTATUUM INDOLIS ECCLESIOLOGICAE	
Art. 1 - De unica vera fide deque unica Ecclesia Orientali . . . . .	93
Art. 2 - De Primatu Romani Pontificis . . . . .	96
CAPUT IV - BREVIS CONSPECTUS IN CETEROS TRACTATUS « LIBRI DE FIDE » ET MOMENTUM EJUSDEM APUD ORTHODOXOS	
Art. 1 - De mysterio SS. Trinitatis deque Eucharistiae Sacramento . . .	109
Art. 2 - De vivificante Cruce, cultu imaginum, ieiunio et de cantu ecclesiastico . . . . .	114
Art. 3 - De Novissimis . . . . .	117
Art. 4 - Expositio divergentiarum inter Ecclesiam Latinam et Ecclesiam Orientalem . . . . .	124
Art. 5 - De momento « Libri de fide » apud Orthodoxos . . . . .	126
RECAPITULATIO ET CONCLUSIO . . . . .	131
INDEX NOMINUM ET RERUM . . . . .	137

## INDEX FONTIUM ET BIBLIOGRAPHIAE <sup>1</sup>

### 1. FONTES

- Akty odnosjaščijesja k istoriji Južnoj i Zapadnoj Rossiji*, 15 vol., Petropoli 1863-1892.
- Akty odnosjaščijesja k istoriji Zapadnoj Rossiji*, vol. 5., Petropoli 1846-1853.
- Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji*, Kioviae 1859-1941.
- HERGENRÖTHER J., *Monumenta graeca ad Photium ejusque historiam pertinentia*, Ratisbonae 1869.
- Knyha o viri jedynoj...* Mosquae 1648.
- MANSI J. D., *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio*.
- Pamjatky ukrajinsko-ruskoji movy i literatury*, t. 5 Leopoli 1906.
- MIGNE, *Patrologia Graeca, Patrologia Latina*.
- PITRA J. B. CARD., *Juris ecclesiastici Graecorum Historia et Monumenta*, t. 1, Romae 1864.
- Russkaja Istoričeskaja Biblioteka*, 39 vol. Petropoli 1875-1927.
- Polnoje Sobranije russkich letopisej*, t. 1, Lenigrad 1926.
- Sbornyk nazyvajemyj Kyryllova Knyha* (Kyryllova Knyha), Mosquae 1944.

### 2. BIBLIOGRAPHIA

- AMMANN A. M., *Storia della Chiesa Russa*, Torino 1948.
- ARCHANGELSKIJ A. C., *Borba z katoličestvom i zapadno-russkaja literatura konca XVI e piervoj poloviny XVII vieka*, in ČOMU, 1, 1888.
- BELLARMINUS ROB., *De controversiis Christianae fidei*, t. 1, Parisiis 1602.
- BIELOKUROV S., *Arsenij Suchanov*, in ČOMU, 1, 1891.
- CALLAEY F., *Praelectiones Historiae Ecclesiasticae Antiquae*, Romae 1944.
- CALLAEY F., *Praelectiones Historiae Ecclesiasticae Aetatis Mediae et Modernae*, Romae 1937.
- CHARLAMPOVIČ K., *Zapadnorusskija Pravoslavnyja školy XVI i načala XVII vieka*, kazań 1898.
- CROMERUS, *De origine et rebus gestis Polonorum*, Basileae 1568.
- DIAČYŠYN P., *De Basilio Suračensi prout theologo et polemista anticatholico*, Romae 1944.
- FRANKO I., *Ivan Vyšenskyj i jeho tvory*, Leopoli 1895.
- FRANKO I., *Charektyrystyka literatury ruskiej XVI-XVII wieku*, in *Kwartalnik Historyczny*, Leopoli 1892.
- GOLUBJEV S., *Kievskij mitropolit Petr Mogila i jevo spodvižniki*, t. I, II, Kioviae 1883-1898.
- GOLUBJEV S., *Bibliografičeskija zamiečanja o niekatorich staropiečatnych cerkovno-slovjanskich knigach preimuščestvienno konca XVI i XVII stoletij*,

---

<sup>1</sup> Hic nominantur opera majoris momenti; ceterorum vero mentio fit in notulis suo loco indicatis.

- Kioviae, 1876.
- GOLUBINSKIJ E., *Istorija Russkoj Tserkvy*, pars I, t. I, ed 2, t. II; pars II, tt. I-II, Mosquae 1900, 1881, 1911.
- GORDILLO M., *Compendium Theologiae Orientalis*, Romae 1939.
- GRISAR H., *Luther*, Freiburg, 1924, t. I.
- GUEPIN ALPH., *Un apôtre de l'Union des Eglises au XVII siècle. Saint Josaphat et l'Eglise greco-slave en Pologne et en Russie*, t. I, II, Paris 1897-1898.
- GUMILEVSKIJ F., *Obzor Russkoj Duchovnoj Literatury*, ed. 3, Petropoli 1884.
- HERGENRÖTHER J., *Photius Patriarch von Constantinopel*, t. III, Ratisbonae 1869.
- *Storia Universale della Chiesa*, vol. II, Florentiae 1905 (ital.)
- HRUŠEVSKYJ M., *Istorija Ukrajiny-Rusy*, 9 vol., Leopoli-Kioviae 1903-1931.
- HRUŠEVSKYJ M., *Z istoriji religijnoji dumky na Ukraini*, Leopoli 1925.
- IŠČAK A., *De Zacharia Kopystenskyi ejusque «Palinodia», opere polemico contra primatum R. Pontificis et Unionem confecto*, in «Bohoslovia», t. VIII (Leopoli 1930), fasc. 3-4; IX (1931), fasc. I, 2, 4; X, (1932), fasc. 1-2.
- JUGIE M., *Theologia Dogmatica Christianorum Orientalium ab Ecclesia catholica dissidentium*, tt. I-V., Parisiis 1926-1935.
- *De processione Spiritus Sancti ex fontibus revelationis et secundum Orientales dissidentes*, Lateranum-Romae 1936.
- KALUŽNIACKIJ E., *Igumena Nafanajila «Kniga o vierie»*, in ČOMU, t. IV (1886).
- KOJALOVČ., *Litovskaja cerkovnaja Unja*, tt. I, II, Petropoli 1801.
- KULCZYNSKI IGN., *Specimen Ecclesiae Ruthenicae cum S. Sede Apostolica semper Unitae*, Parisiis 1859.
- LEGRAND E., *Bibliographie Hellénique*, t. III, Parisiis 1895.
- LIKOWSKI E., *Unja Brzeska*, Poznaniae 1896.
- LYLOV A., *O tak nazyvajemoj Kyrillovoj Knige*, Kazań 1857.
- MAKARIJ MYTR. MOSKOV., *Istorija Russkoj Cerkvi*, 12 vol., Petropoli 1879-1898.
- MÜLLER L., *Die Kritik des Protestantismus in der russischen Theologie vom 16. bis zum 18. Jahrhundert*, Akademie d. Wissenschaften... in Mainz 1951.
- OSINSKIJ A., *Meletij Smotryckij, Polockij archiep.*, in «Trudy Kievskoj Duch. Akademiji», tt. II-III, Kioviae 1911.
- PALMIERI A., *Theologia dogmatica Orthodoxa (Ecclesia Graeco-Russica) ad lumen catholicae doctrinae examinata et discussa*, Florentiae, t. I, a. 1911, t. II a. 1913.
- PALMIERI A., *De Romano Pontifice*, ed. 4, Romae 1931.
- PASCAL P., *Avvakum et les débuts du Raskol*, Parisiis 1938.
- PAVLOV A., *Kritičeskije opiti po istoriji drevnejšej grekorusskoj polemiki protiv Latinian*, Petropoli 1878.
- PELESZ J., *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, Vindobonae, t. I a. 1878, t. II a. 1880.
- POPOV A., *Istoriko-literaturnij obzor drevnie-russkich polemicheskich sočinienij protiv Latinian*, Mosquae 1875.
- *Opisanije rukopisej i katalog staropiečatnich knig bibl. A. M. Chludova*, Mosquae 1872.
- Proischoždenije raskolničeskago učenija ob Antichristie*, in «Pravoslavnij Sobiesiednik», II, Kazan 1858, p. 138-156; 262-301.
- PYPIN A., *Istorija russkoj literatury*, t. II, Petropoli 1907.
- SACHAROV I., *Obozrenije slovjano-russkoj bibliografiji*, t. I, Petropoli 1849.
- SKARGA P., *O jedności Kościoła Bożego*, Cracoviae 1885.
- ŠMURLO E., *Le Saint Siège et l'Orient Orthodoxe Russe (1609-1654)*, Pragae 1928.
- STEBELSKI IGN., *Dwa wielkie swiatła*, t. II, Leopoli 1866.
- STUDYNSKYJ K., *Perestohora, ruškyj pamjatnyk počatku XVII vika*, Leopoli 1895.
- *Polemiczne pysmenstvo v r. 1608*, in «Zap. NTŠ», vol. CIV, lib. IV, Leopoli 1911.

- *Antigrafe, polemičnýj tvir Maksyma (Meletija) Smotryckoho z 1608 r.*, in « Zap. NTŠ », t. CXLI-CXLIII (1925).
- *Čto buv avtorom Antirrthesis z 1599 r. ?*, in « Zap. NTŠ », t. XXXV, 2. (1900).
- STUDZIŃSKI C., *Pierwszy występ literacki Hipacyusza Pocieja*, Leopoli 1902.
- STROJEV P., *Spiski ierarchov i nastojatielej monastirej rossijskija Cerkvi*, Petro-poli 1877.
- SUŠZA JAC., *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis Meletius Smotriscius*, ed. Jo. Martinov, Bruxellis 1864.
- SUŠKO O., *Pryčynky do studij nad tekstem « Palinodiji »*, Leopoli 1903.
- SUBBOTIN N. I., *Materijaly dla istoriji raskola*, VI, Mosquae 1875.
- TAUBE M. A., *Rim i Rus' v domongolskij period*, in « Katoličeskij Vremennik », liber II, Parisiis 1928.
- TOMAŠIVŠKYJ S., *Vstup do istoriji Cerkvy na Ukrajinì*, in AOSBM, t. IV, fasc. 1-2, Žovkvae 1931.
- TRETIK J., *Piotr Skarga w dziejach i literaturze Unii Brzeskiej*, Cracoviae 1912.
- TOURNELY H., *Praelectiones Theologicae de Augustissimo Eucharistiae Sacramento*, Venetiis 1731.
- TYŠKEVYČ S., *Učenie o Cerkvi (traité de L'Eglise)*, Parisiis 1931.
- UNDOLSKIJ V. M., *Slaviano-russkija rukopisy*, Mosquae 1870.
- WACZYŃSKI B., *Czy Antigrafe jest dziełem Maksyma (Melecjusza) Smotryckiego?*, in « Roczniki Uniwersytetu Lubelskiego », t. I, Lublin 1949.
- VOZNIK M., *Istorija ukrajinskoji literatury*, t. II, Leopoli 1921.
- ZAPELENA TH., *De Ecclesia Christi*, t. I, Romae 1946.
- ZAVITNEVIČ V., *Palinodia Zachariji Kopysteskago i jeja miesto v istoriji zapadno-russkoj polemiki XVI i XVII vv.*, Varsaviae 1883.

### ABBREVIATIONES ET SIGLAE

- AK. JIZR - *Akty (otnosjaščijesja k istoriji) Južnoj i Zapadnoj Rossiji...*
- AJZR - *Archiv Jugo-Zapadnoj Rossiji...*
- AOSBM - *Analecta Ordinis Sancti Basilii Magni.*
- ČOMU - *Čtenija v Imperatorskom Obščestvie istoriji i drevnostej rossijskich pri Moskovskom Universitetie.*
- LF - *Liber de Fide (Knyha o viri - Objectum nostrae dissertationis).*
- Mansi - *MANSI, Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio...*
- PG. - *MIGNE, Patrologia Graeca.*
- PL - *MIGNE, Patrologia Latina.*
- PURML - *Pamjatky ukrajinsko-ruškoji movy i literatury.*
- RIB - *Russkaja Istoričeskaja Biblioteka...*
- TKDA - *Trudy Kievskoj Duchovnoj Akademiji.*
- Zap. NTŠ - *Zapysky Naukovoho Tovarystva imeny Ševčenka.*

PARS PRIMA  
DE OPERIBUS POLEMICIS  
CONTRA LATINOS IN GENERE

INTRODUCTIO: DE VETERO-UCRAINICIS OPERIBUS POLEMICIS. —  
CAPUT I: DE OPERIBUS POLEMICIS ANTE UNIONEM BERESTENSEM. —  
CAPUT II: DE OPERIBUS POLEMICIS POST UNIONEM BERESTENSEM. —  
CAPUT III: DE MELETIO SMOTRYCKYJ ET ZACHARIA KOPYSTENSKYJ.





## INTRODUCTIO

### DE VETERO-UCRAINICIS OPERIBUS POLEMICIS CONTRA LATINOS<sup>1</sup>

Omnia, quae hucusque extant ex antiquis operibus, anti-catholicis in Ucraina, pertinent, saltem magna cum probabilitate, ad Graecos-advemas,<sup>2</sup> vel sunt versiones palaeoslavicae opusculorum anticatholicorum, quae graece conscripta sunt in sinu Ecclesiae Byzantinae extra Ucrainam.

Graeci, qui, post schisma anno 1054 consummatum, tamquam praesules Ecclesiae Ucrainae extiterunt, totis viribus adlaborabant, ut Sedem Kioviensem a communione cum Romana Ecclesia sejungerent. Qua re facile intelligitur activitas polemica contra Latinos, quae, a scriptoribus ex Graecia venientibus, praesertim metropolitibus colebatur.<sup>3</sup>

Quoad indolem generalem istius activitatis polemicae, « affirmare possumus — ut ait Hruševskij — quod ipsa honorem magnum auctoribus non attulit ». Nec ipsi, praeter absurditates injustasque criminationes, quas contra Latinos dirigunt, ullomodo valent distinguere in vita ecclesiastica res magni momenti, quae ad articulos fidei pertinent, a rebus non tanti momenti, ut ritus et consuetudines variarum provinciarum ecclesiasticarum.<sup>4</sup> Nec desunt inter eos, ut metropolita Joannes II (1080-1089) et Nicephorus (1104-1124) atque monachus Theodosius Graecus, hegumenus Laurae Pečerenensis (1145-1165), qui

---

<sup>1</sup> Ad meliorem rerum intelligentiam, hic opportunum notare ducimus, tractatus polemicos anticatholicos, qui circumferebantur in Ucraina, quoad argumentum atque relate ad periodum historicam, in qua exarati sunt, in duas partes dividi posse. Ad primam pertinent vetero-ucrainica scripta contra Latinos, ab incunabulis usque ad medium saeculum XV. Secundam vero partem constituunt opera polemica paulo ante et post Unionem Berestensem (1596) conscripta.

Cfr. OLEXANDER SUŠKO, *Pryčynky do sudij nad textom Palinodiji*, Leopoli 1903, p. 3-4.

<sup>2</sup> Cfr. MYCHAJLO HRUŠEVSKYJ, *Istoria Ucrajiny-Rusy*, t. III, Leopoli 1905, p. 479. — M. JUGIE, *Theologia Dogmatica Christianorum Orientalium*, t. I, Parisiis 1926, p. 550.

<sup>3</sup> MYCHAJLO HRUŠEVSKYJ, *Z istoriji religijnoji dumky na Ucraini*, Leopoli 1925, p. 27.

<sup>4</sup> M. HRUŠEVSKYJ, *o.c.*, p. 481.

omne cum Latinis commercium, tam in sacris quam in civilibus interdicit, praesertim matrimonia cum eis inire prohibent; immo, Theodosius purificari vasa jubet, quibus necessitatis causa Latini ad manducandum vel bibendum usi fuerint.<sup>5</sup>

Omnes fere criminationes contra Latinos in eorum scriptis excerptae sunt ex *Tractatu contra Francos*; ex *epistola Leonis, archiepiscopi Achridae in Bulgaria*, quam ipse, instigante Michaële Caerulario, anno 1053, ad Joannem episcopum latinum civitatis Tranensis in Apulia et per eum « ad universos episcopos Francorum et monachos et populos et ad ipsum Papam » misit; ex *libello contra Latinos* quod quidam monachus, Nicetas Pectoratus, jussu quoque ejusdem Caerularii per totum Orientem vulgabat et demum, ex *prima epistola Caerularii* ad Petrum patriarcham Antiochenum.<sup>6</sup>

Non obstantibus conaminibus Graecorum, qui pro viribus suis contendebant Ecclesiam Ucrainam in obedientia patriarchae Constantinopolitani retinere, relationes Principum Ucrainae atque populi cum Latinis sat intimae periodo antemongolica erant, quod quidem etiam de relationibus ecclesiasticis valet dicere. Viginti annis post dissidium an. 1054 notum factum evenit in historia Ucrainae, quod filius Jaroslai Sapientis, magnus Kioviae Princeps, Izjaslaus-Demetrius, misit Romam filium suum Jaropolkum-Petrum, per quem totam Rus'-Ucrainam sub patrocinio successorum Beati Petri Apostoli, Romanorum Pontificum, posuit.

Ex litteris autem Pontificis Gregorii PP. VII ad eundem Principem, die 17 aprilis 1075 datis, constat Papam Izjaslaum titulo « regis apostolici » exornasse, nulla tamen separationis Ecclesiae Ucrainae ab Ecclesia Romana mentione facta, non obstante consummata iam separatione Ecclesiae Byzantinae.<sup>7</sup>

Notare oportet etiam aliud factum, quo demonstratur existentia intimarum relationum Ucrainae cum sede Romana periodo antemon-

<sup>5</sup> Joannis Russiae metropolitae cognominati « Propheta Christi » breves regulae ecclesiasticae ex Sanctis libris desumptae, ad Jacobum monachum, in RIB t. VI, 1880, p. 1-20; Nicephori metropolitae epistola ad Jaroslavum Sviatopolkovič in *Historia Ecclesiae Russicae*, Makarii, t. II, Priloženije Nr. 9 et Nr. 10; Theodosii (Graeci) epistola ad Principem Izjaslavum II, in eadem « *Historia* », t. II, Priloženije n. 5, p. 322; cfr. JUGIE, o.c., p. 522-3; K. VYSKOVATYJ, *K voprosu ob avtore i vremeni napisanija « Slova » k Izjaslavu o Latiniech*, in « *Slavia* », t. XVI, Praegae 1939, pp. 535-567.

<sup>6</sup> Cfr. A. POPOV, *Istoriko-literaturnyj obzor drevnie-russkich polemičeskich sočinienij protiv Latinian (X-XV)*, Mosquae 1875; A. PAVLOV, *Kritičeskije opyti po istoriji drevnejšej greko-russkoj polemikj protiv Latinian*, Petropoli 1878; M. ČELCOV, *Polemika mieždu grekami i latinianami po voprosu ob opriesnokach v XI-XII viekach*, Petropoli 1879; M. Hruševskij, o.c., p. 480.

<sup>7</sup> S. TOMAŠIVSKYJ, *Introductio in Ecclesiae historiam super terris Ucrainae*, in « *Analecta Ordinis Sancti Basilii Magni* », t. IV, fasc. 1-2, Zovkva 1931, p. 128.

golica, id est introductio, annis 1091-1093 peracta, festivitatis translationis reliquiarum S. Nicolai thaumaturgi Mira in civitatem Barensem, quod festum aliquam suae originis occidentalis notam, aliis Ecclesiis Orientalibus ignotam, prae se fert.<sup>8</sup> Non minus in favorem istarum relationum testimonium praebent multiplices peregrinationes Ucrainorum in regiones occidentales vel etiam in orientales, quae sub dominatu Occidentalium fuerunt (e.g. Terra Sancta),<sup>9</sup> necnon veneratio in Ecclesia Ucraina Sanctorum Ecclesiae Latinae.<sup>10</sup>

Inde id unum tantum deduci potest, Ecclesiam Ucrainam, non obstantibus conaminibus Graecorum, eorum exempla non esse secutam. « Haereses » Latinorum, quas Graeci scriptores pessimis depingebant verbis, Ucraini tamquam minimi pretii aestimabant; etenim inter istas « criminationes » aliquod momentum tantummodo quaestio de « Filioque » deque usu panis azymi in Eucharistia conficienda obtinere valuit. Aliae accusationes sunt parvi vel nullius momenti (e.g.: Latini tempore jejunii infantibus lactinia dant; Latini animalia strangulata comedunt, digito signum crucis in terra faciunt idque pedibus proterunt etc...), quae potius ad risum quam ad seriam considerationem excitabant.

Ex animo Ucrainorum nondum discessit doctrina Patrum, a metropolita ucraino Hilarione praedicata (1051-1054), qui in suo scripto « *De lege et gratia* » non dubitat de orthodoxia Ecclesiae Romanae,<sup>11</sup> atque, de processione Spiritus Sancti loquens asserit Eum « a Patre procedere et in Filio se manifestare », quae vero verba sensu catholico intelligi possunt.<sup>12</sup> Ita res se habebant periodo ante-mongolica.

Fluxu tamen temporis spiritus ecclesiasticae dissensionis in Ucrainam penetrare incipit. Causae principaliores istius progressivae aversionis a sede Romana praesertim indolis politicae considerari debent, ut: divisio Rus'-Ucrainae in principatus autonomos, invasio Mongolorum atque demum denegatio auxilii in bellis cum Mongolis ex parte Principum occidentalium.<sup>13</sup>

Attamen, hoc non obstante, a secunda medietate saeculi XIII usque ad Unionem in Concilio Florentino proclamatam, ne unum quidem scriptorem ucrainum reperimus, qui aliquod opus contra Latinos scripserit. Omnia, quae ad nos ex scriptis polemicis anticatholicis hujus temporis pervenerunt, tantummodo in transcriptionibus operum

<sup>8</sup> Cfr. E. GOLUBINSKIJ, *Istoria Russkoj Cerkvi*, t. I, pars I, Mosquae 1904, p. 399 ss; M. N. GAVRILOV, *Sviatitel Nikolaj*, Bruxellis 1950, p. 27-29.

<sup>9</sup> M. A. TAUBE, *Rim i Rus' v domongolskij period*, in « *Katoliceskij Vremennik* », liber II, Parisiis 1928, p. 164-166.

<sup>10</sup> *IBIDEM*, p. 167-8.

<sup>11</sup> K. VYSKOVATYJ, *o.c.*, p. 537.

<sup>12</sup> M. JUGIE, *o.c.*, p. 551.

<sup>13</sup> M. A. TAUBE, *o.c.*, p. 176 ss.

Nicephori, Joannis II, Theodosii Graeci atque in versionibus tractatum polemistarum Graecorum constabant quae introductae sunt in « *Kormčaja Knyha* » et « *Collectiones* » scriptorum polemicorum, quorum compilatio saeculo XIV exeunte incipit, nec non versiones aliquorum opusculorum graecorum, quae extra illas « *Collectiones* » circumferebantur. A fine saec. XIV et initio saec. XV apparuerunt quoque in Ucraina versiones operum Gregorii Palamae et Nili Cabasilae.<sup>14</sup>

In quadam « *Collectione* » Bibliothecae Synodalis Mosquiensis saec. XVI, n° 330, repertus est articulus polemicus, in quo enumerantur « criminationes » Latinorum, de quibus agunt « Tractatus contra Francos », epistola Caerularii ad Petrum Antiochenum et alii tractatus polemici graeci; hujus articuli titulus erat: « *Sermo Gregorii metropolitanae de Fide Germanorum* ». Macarius,<sup>15</sup> Popov,<sup>16</sup> Pavlov<sup>17</sup> et post eos Golubinskij, hypothetice putant,<sup>18</sup> auctorem istius articuli Gregorium Camvlak, metropolitam Kioviensem (1415-1420?) fuisse et tamquam argumentum ad illam hypothese[m] probandam unice titulum indicant. Nobis autem haec hypothesis minime sustineri posse videtur, quia aliunde notum est, Gregorium Camvlak numquam apertum inimicum Latinorum fuisse; immo, ipsum Unioni Ecclesiae Ucrainae cum Ecclesia Romana studuisse,<sup>19</sup> qui et praecursor Cardinalis Isidori reputatur; ceteroquin, in supra memorato articulo, titulus posterior ipso articulo esse videtur.

In fine nostrarum animadversionum de vetero-ucrainicis operibus polemicis contra Latinos animadvertendum necesse est factum Unionis Florentinae, quam nomine Ecclesiae Ucrainae et Russicae, metropolita Kioviensis Isidorus et episcopus Susdaliensis Abraham subscripserunt<sup>20</sup> et cujus proclamatio in Ucraina pacifice excepta est, et nullum scriptum polemicum contra Ecclesiam Catholicam in Ucraina provocavit. Opera polemica de Unione Florentina tantummodo in Russia Moscovitica apparuerunt.<sup>21</sup>

Decursu tamen temporis rerum adjuncta mutantur. Plurimi eventus repercussionem etiam in tota Ucraina et Alboruthenia obtinent.

<sup>14</sup> A. POPOV, *o.c.*, p. 123-316; A. PAVLOV, *o.c.*, p. 68, ss.

<sup>15</sup> MACARIUS, *Historia Ecclesiae Russicae*, t. VI, p. 212, 225.

<sup>16</sup> A. POPOV, *o.c.*, p. 316-320.

<sup>17</sup> A. PAVLOV, *o.c.*, p. 87.

<sup>18</sup> E. GOLUBINSKIJ, *o.c.*, t. II, pars I, nota I, p. 386.

<sup>19</sup> IGNATIUS KULCZYNSKI, *Specimen Ecclesiae Ruthenicae cum s. Sede Apostolica semper unitae*, Parisiis 1859, p. 121. De vita Gregorii Camvlak vide: JACIMIRSKIJ, *Grigorij Camvlak*, Petropoli 1904.

<sup>20</sup> A. THEINER-MIKLOSCHICH, *Monumenta spectantia ad Unionem ecclesiasticam*, Vindobonae, 1872, p. 51, 56.

<sup>21</sup> A. POPOV, *o.c.*, p. 328-406.

Post saeculare silentium, polemistae novi cuiusdam generis ultimis decenniis saeculi XVI et totius saeculi XVII exsurrexerunt, qui nobis celeberrimos tractatus reliquerunt.

Incipit enim nova periodus in historia activitatis polemicae contra Ecclesiam catholicam, ad quam examinandam jam accedimus.

De historia et indole ejus generali tractantes, materiam, claritatis gratia, in tria capita exdividimus, quorum primum agit de polemica ante promulgationem Unionis Berestensis (1596); secundum de polemica post promulgationem Unionis; tertium, demum, de operibus polemicis Meletii Smotryckij et Zachariae Kopystenskyj.



**CAPUT I**  
**DE OPERIBUS POLEMICIS**  
**ANTE UNIONEM BERESTENSEM**

**ART. 1: INITIUM ACTIVITATIS POLEMICAE. — ART. 2: QUAESTIO DE REFORMATIONE KALENDARIJ ET OPERA HERASYMI SMOTRYCKYJ ATQUE BASILII SURAZSKYJ. — ART. 3: QUAESTIO DE ANTICHRISTO ET SCRIPTA POLEMICA STEPHANI ZIZANII.**





## CAPUT I

### DE OPERIBUS POLEMICIS ANTE UNIONEM BERESTENSEM

Dum in introductione conspectum historiae activitatis polemicæ contra Latinos brevissime adumbravimus, animadvertimus quoque usque ad Unionem Florentinam, in Ucraina a metropolita Isidoro promulgatam, non adfuisse certo ne unum quidem scriptorem ucrainum, qui opus proprium contra Ecclesiam Catholicam confecisset. Similis status rerum usque ad medium saeculum XVI perduravit, etsi relationes Ucrainorum ad Ecclesiam Catholicam ab anno 1501, id est a tempore a quo Jonas, acerrimus adversarius Unionis, metropolim Kioviensem obtinuit, semper in pejus vertebantur. Sub Polonorum dominatu, ab anno 1569, hae relationes magis magisque in dies pessum eant. Odium contra dominos saeculares extenditur etiam ad id omne, quo ipsi vivunt, religione eorum non exclusa.<sup>1</sup> Unde nihil mirum, si hoc saeculo XVI exeunte, dum incipit conamen adducendi Ucrainos et Alboruthenos ad Unionem cum Sede Romana, ucraini adversus eam totis viribus dimicarent.

Acerrimam activitatem polemicam in campo litterario ipsi excitaverunt Catholici, ex. gr. liber Petri Skarga, Soc. Jesu (1536-1612), «*De unitate Ecclesiae*», instauratio Kalendarii Gregoriani atque proclamatio Unionis in synodo Berestensi, anno 1596 peracta.

Historia istius activitatis dividi potest in duas periodos, quarum prima ab ultimis decenniis saec. XVI usque ad finem secundi decenniis saeculi XVII, altera vero ab illo tempore usque ad finem saeculi XVII extenditur.

Opera polemica primæ periodi praesertim ad ex-alumnos scholarum graeco-slavicarum Confraternitatum pertinent; opera autem alterius periodi, majore ex parte, ab ex-alumnis Academiae Kioviensis confecta sunt. In prima periodo elementum historicum, in secunda vero elementum theologicum praevallet.<sup>2</sup>

In praesenti nostra parte solummodo historiam et indolem gene-

---

<sup>1</sup> A. BRÜCKNER, *Spory o unię w dawnej literaturze*, in «Kwartalnik historyczny», t. X, Leopoli 1896, p. 582.

<sup>2</sup> Cf. ZAVITNEVIČ V., *Palinodia Z. Kopystenskaho i jeja miesto v istoriji ruskoj polemiki XVI i XVII vv.*, Varsaviae 1883, Introductio; M. VOZNIAC, *Istorija ukrajinskoj literatury*, t. II, Leopoli 1921, p. 234, 247.

ralem activitatis polemicae primae illius periodi breviter exponere conati sumus, attendentes praesertim ad illa opera, quae tamquam fontes directi vel indirecti « *Libri de Fide Ps.-Nathanaelis* » extiterunt. Animadvertendum quoque est, nos ante omnia prae oculis scripta anticatholicorum habuisse; de aliis agendum est nobis tantummodo, ut expositionem de prioribus perfectiorem reddere valeamus.

### Art. I. — Initium activitatis polemicae.

Non est omnino certum a quo tempore ceperit ex parte Catholicorum diffusio operum scriptorum inter Orthodoxos cum hac expressa intentione adducendi eos ad Unionem cum Sede Romana. Certum tamen est, expresse de Unione loqui Petrum Skarga et Antonium Possevino;<sup>3</sup> ante hos scriptores non ita clare locutum esse Joannem Sacranum in suo opere « *Elucidarius errorum Ritus Ruthenici* », anno 1500 exarato, quod opus, secundum historicum A. Ammann « è il più ingiusto e violento attacco contro gli Ortodossi ».<sup>4</sup>

Petrus Skarga,<sup>5</sup> Superiorum Societatis Jesu jussu, anno 1577 opus suum edidit in lingua polonica, cui titulus est: « *De Unitate Ecclesiae sub unico pastore et de Graecorum ab hac unitate defectione* », de quo iam supra erat mentio, et de quo nunc pauca dicenda sunt verba.

Opus Petri Skarga tribus constat partibus, dogmatica nempe, historica et practica. In parte dogmatica agit de Ecclesia Christi ejusque notis essentialibus de constitutione monarchica Ecclesiae deque primatu Romani Pontificis. In secunda vero, historia schismatis exponitur, scil. ejus causae assignantur (superbia et vanae gloriae cupiditas ex parte patriarcharum Constantinopoleos, multiples et continuas haereses in Graecia, crudelis dominatus Imperatorum cum spiritu haeretico mixtus), necnon conamina unionistica

---

<sup>3</sup> Antonius Possevino, S. J. (1533-1611), Legatus Apostolicus in Polonia et in Moscovia fuit. Ipse cum Principe Ostrožskyj anno 1582-1583 de Unione tractavit. Cfr. *De A. Possevini in favorem Unionis publicationibus interpretationibusque Ruthenicis a. circiter 1580*, I. Krypiakovyč, AOSBM, 1928-30, p. 537 ss.

<sup>4</sup> A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa Russa*, Torino 1948, p. 161.

<sup>5</sup> Petrus Skarga, S. J. (1536-1612), initio sacerdos saecularis, Romae anno 1569 Societatem Jesu ingressus est. In patriam reversus per tres menses anno 1571 Leopoli adlaboravit. Postea una cum Benedicto Herbest Jaroslaviae Collegium fundare curavit. Anno 1573 Vilnam sese transtulit. Ibi conciones habuit, quibus dissidentes ad auctoritatem Romani Pontificis agnoscendam adhortabatur. Hunc ob finem etiam activitatem litterariam explicavit. Bibliographiam de Skarga cfr. apud M. HRUŠEVSKYJ, o.c., t. VI, p. 457.

prae oculis ponuntur. In tertia tandem parte P. Skarga propriam adhortationem ad populum Ucrainum et Alboruthenum circa Unionem in praxim deducendam dirigit.<sup>6</sup>

In libro istius viri, qui fama excellentissimi praedicatoris in tota historia Poloniae honoratus est, prima vice de Unione fuse atque doctrinali modo disceptatur. Procul dubio, multa ibi argumenta solida ad veritatem expositarum thesium probandam invenimus; etenim ipse Skarga dicit, quod ejus liber « multis aperuit oculos », <sup>7</sup> id est multos Ucrainos Alboruthenosque ad seriam considerationem de necessitate Unionis excitavit. Attamen, hoc non obstante, reperimus in ejus opere nonnullos defectus, praesertim quoad methodum accedendi ad Orthodoxos. Nec desunt in « *De Unitate Ecclesiae* » locutiones, quae sat durae et offensivae pro Orthodoxis etiam tunc temporis erant, uti vituperium linguae slavicae quacum, secundum Petrum Skarga, nemo doctus fieri valet. Aliunde tamen scimus, quod hoc praecipue tempore studium istius linguae intensum notatur in scholis Confraternitatum ucrainarum et praesertim in Academia Ostrogensi.<sup>8</sup> Ubi Skarga de generali conversione agit, Orthodoxis proprios Ritus retinere permittit in Unione, sed addit: Ritus Latinum majoris esse praestantiae. Nec desunt textus in ejus libro, ubi explicite alluditur, Unionem eo ipso transitum in Latinum Ritus significare,<sup>9</sup> quae expressiones utique lectoribus rituum orientalium placere non potuerunt.

Postquam opus Petri Skarga vulgatum est, scriptores in castris Orthodoxorum militantes fere nullum pro rata parte responsum dederunt. Notum tamen est, Principem Kurbskyj<sup>10</sup> Orthodoxis Vilnensibus tamquam antidotum contra « libros jesuitarum » antiqua scripta Palamae et Cabasilae misisse; quidam vero auctor anonymus, ex monasterio Suprasliensi, quamdam responsum exaravit, quae tamen non constituebat aliquod scriptum originale, sed potius ut compilatio ex antiquis scriptis contra Latinos, ubi argumenta ad rem cum ineptiis miscebantur,<sup>11</sup> considerari debet. Responsum maio-

<sup>6</sup> Cfr. P. SKARGA, *De Unitate Ecclesiae Dei sub uno Pastore...*, Cracoviae 1885. Cfr. ZAVITNEVIČ, o.c., p. 50-52.

<sup>7</sup> M. HRUŠEVSKYJ, o.c., t. V, p. 543;

<sup>8</sup> M. VOZNIK, o.c., p. 62.

<sup>9</sup> G. MYLANYK, *Constantini senioris ducis de Ostrog pro Unione ecclesiastica activitas* (Thesis ad Lauream nondum edita), Romae 1940, p. 99.

<sup>10</sup> Princeps Andreas Kurbskyj, secunda medietate saeculi XVI in hodierna Alboruthenia commorans, profugus e Moscovia fuit. De ejus vita et activitate litteraria videas S. GORSKIJ, *Zizn i istoričeske značenie kniazja Andreja M. Kurbskago*, Kazan 1858; *Socinenija Kniazja Kurbskago*, in RIB t. XXXI, Petropoli 1914; N. USTRJALOV, *Skazanija kniazja Kurbskago*, ed. III, Petropoli 1868 (de vita p. XII-XXXII).

<sup>11</sup> M. HRUŠEVSKYJ, o.c., t. XVI, p. 461.

ris momenti, semper tamen impar operi Petri Skarga, edita est anno 1582, sub titulo: « *Responsum ad Latinos ex eorum libris* »; ibi anonymus quidam auctor polemicam, quae ei translato facilis videbatur, in campum Catholicorum transtulit atque theoriam, a Protestantibus excogitatam, de Papa-Antichristo, etsi pavide, in medium protulit.<sup>12</sup> Neque Princeps Ostrožskyj, caput Russiae (Ucrinae), silentio apparitionem libri « *De Unitate Ecclesiae...* » praetermisit. Usque ad nostra tempora opinio praevaluit Constantinum Ostrožskyj cum gaudio in lucem proditum opus Petri Skarga salutavisse, eo vel magis quod ipse tunc temporis non fuit adversus Unioni et ipse P. Skarga opus suum « *De Unitate Ecclesiae* » (primam editionem) ipsi duci Constantino dicavit.<sup>13</sup> Recentiores tamen disquisitiones hac de re demonstrant, ducem Ostrožskyj, statim post apparitionem libri P. Skarga, opus eius confutandum jussisse. Primam istam confutationem praeceptorum suorum filiorum, Nathanaëli Eustachio, commisit. Cum tamen Nathanaël petitioni Principis recusasset, dux Ostrožskyj ejusdem operis confutationem cuidam sociniano, Motovylo nomine, imposuit. Motovylo vero confutationem sibi iniunctam ad paucas notas contra Romanum Pontificem restrinxit.<sup>14</sup> Responsum hoc ad posteros non pervenit; notitia vero de illa refutatione ex epistola Andreae Kurbskyj ad Constantinum ducem Ostrožskyj habetur.<sup>15</sup>

Haec de scriptis, quae occasione apparitionis primae editionis « *De Unitate Ecclesiae...* » P. Skarga conscripta sunt, notare sufficit. Ipse P. Skarga ejusdem operis emendatam editionem anno 1590 et tertiam anno 1610 curavit. Contra alteram editionem istius operis duobus scriptis exurgit polemista orthodoxus — Joannes Vyšenskyj, de quo infra nobis dicendum erit.

## Art. II. — Quaestio de reformatione Kalendarii et opera Herasymi Smotryckyj atque Basilii Surazskyj.

Scripta anticatholica, de quibus supra locuti sumus, etiamsi magni valoris non sint, viam tamen novis scriptis polemicis anticatholicis paraverunt quae, parvis opusculis inita — celeberrimis tractatibus prosecuta est.

Novum autem eventum, quod polemicam, opere Petri Skarga provocatam, corroboravit, fuit reformatio Kalendarii, a Papa Gre-

<sup>12</sup> Cfr. C. STUDYNSKYJ, *Perestoroha*, Leopoli 1895, p. 39.

<sup>13</sup> Cfr. HRUŠEVSKYJ, *Ibidem*, p. 461-462.

<sup>14</sup> G. MYLANYK, *o.c.*, p. 91-92.

<sup>15</sup> RIB, t. XXXI, p. 461-463.

gorio XIII anno 1582 peracta.<sup>16</sup> In Ucraina et Alboruthenia, sub dominatu Polonorum, introductio novi Kalendarii initio solummodo verbis scriptisque propagabatur et commendabatur; postea suasiones et commendationes locum violentae actioni cesserunt. Contra istam violentiam multiplices reclamaciones, praesertim in partibus Ucrainae Occidentalis exortae sunt. Ut desiderio Ucrainorum satisfaceret, Rex Polonorum Stephanus Batory decretum, quo Ucrainis jus ad usum Kalendarii non reformati tutum reddebatur, edidit.<sup>17</sup> Hoc tamen decretum regium ad pacem inter utramque partem non perduxit, sed, econtra, quaestio Kalendarii unum ex punctis polemicae principalioribus evasit et permansit.

Inde Benedictus Herbst (1531-1593), in libello suo sub titulo « *Fidei romanae argumenta et graecae captivitatis historia: pro unione Ecclesiarum, ex prolixiore historia ecclesiastica excerpta ad conversionem Ruthenorum* », <sup>18</sup> Cracoviae in lingua polonica vulgato, praeterquam de necessitate unionis Ecclesiae Ucrainae cum Ecclesia Romana, etiam de necessitate introductionis novi Kalendarii agit.

Huic famoso et habili praedicatori et auctori iam anno 1587 magister Academiae Ostrogensis, Herasym Smotryckyj († 1594) opere, cui titulus « *Clavis regni coelestis* »<sup>19</sup> responsum exhibet. Opus H. Smotryckyj in duas dividitur partes; in prima parte Auctor pentarchiam ecclesiasticam acriter defendit confutatque monarchiam in regimine Ecclesiae; in secunda vero, ironice, sed superficialiter contra novum Kalendarium decertat.

Eodem tempore initium habet activitas scientifico-litteraria cujusdam inter theologos ucrainos orthodoxos hominis, qui primus modo doctrinali omnia dogmata orthodoxorum validioribus argumentis fulcire conatus est; agitur de activitate Basilii, hodie communiter « *Surazskyj* » dicti, qui opus suum « *De unica vera fide orthodoxa et de Sancta oecumenica apostolica Ecclesia unde principium habuit et quomodo ubicumque diffusa est* »<sup>20</sup> anno 1588 Ostrogiae edidit. Antequam breviter argumentum operis exponamus, pauca de ipso Auctore verba referre opportunum ducimus.

Valde divulgata erat et est, usque ad nostra tempora, sententia apud Russos et alios scriptores, secundum quam Basilius, auctor supra memorati libelli, idem est ac Basilius sacerdos Confraternitatis Vilmensis, et amicus Stephani Zizanii atque idem ac Clericus Ostro-

<sup>16</sup> Cfr. HRUŠEVSKYJ, *oc.*, t. VI, p. 463.

<sup>17</sup> IBIDEM, p. 463-466.

<sup>18</sup> Opusculum excussum reperies in RIB, t. VII, col. 613-629. De ejus vita videas: O. SUŠKO, *Predteča uniji*, in « *Zap. N.T.Š* », t. LIII, p. 1-71, t. LV, p. 72-125.

<sup>19</sup> AJZR, pars I, t. VII, p. 232-265.

<sup>20</sup> RIB, t. VII, col. 601-938 (recte 633-938).



gensis. Primus hoc modo determinare personam Basilio conatus est Philaretus Gumilevskyj.<sup>21</sup> Ejus sententiam repetit A. Palmieri.<sup>22</sup>

Nos autem tamquam magis verosimilem accipimus sententiam illorum scriptorum, qui bene distinguunt nostrum Basilium a Basilio, presbytero Vilnevi nec non a Clerico quodam Ostrogensi; rationes autem, quae talem suadent sententiam, in opusculo Petri Diačyšyn: « *De Basilio Suracensi...* » facile inveniri possunt.<sup>23</sup>

De vita nostri Basilio nullae positivae habentur notitiae ideoque, ad coniecturas confugientes, admittere solummodo possumus, auctorem « *Libri de fide* » fuisse administratorem typographiae Ostrogensis capitaneumque castelli Suraž (unde et nomen eius: Suražskyj).<sup>24</sup>

Opus Basilio in sex capita partitum est. In primo capite auctor de vera fide orthodoxa deque sancta catholica et apostolica Ecclesia Hierosolymitana, quae et mater omnium Ecclesiarum nuncupatur, doctrinam exponit. In secundo capite agit de processione Spiritus Sancti; materia tamen huius capituli, secundum affirmationem ipsius Basilio, sumpta est « a Maximo monacho, qui in sacro monte Athos vixit ». In tertio capite, de Romano Pontifice disceptat, cuius primatum super omnes episcopos negat. In quarto capite differentias inter Ecclesiam Orientalem et Ecclesiam Latinam describit, sermonem instituens de pane azymo, de ieiunio sabbati, de liturgia, de caelibatu cleri et de purgatorio.

In quinto capite agit de Calendario. Eius doctrina in hac materia repraesentat antiquam scholam, quae hanc quaestionem ordinis naturalis, prouti est quaestio de reformatione Calendarii, sub aspectu dogmatico tractabat.

In sexto demum capite de sanctitate Ecclesiarum, deque cultu imaginum contra protestantes tractat.

Opus Basilio nobis fere totam doctrinam huius temporis prae oculis ponit; etenim argumenta de omnibus his quaestionibus hoc tempore agitata, in opere Basilio compendiose inveniuntur. Positio autem auctoris hoc in opere et anticatholica et antiprotostantica esse videtur. Suas sententias in toto opere citationibus Sacrae Scripturae et Patrum necnon decretis septem primorum conciliorum confirmare conatur. Imo, saepe saepius integros et prolixos textus ex operibus aliorum, uti Maximi Graeci, Barlaami Calabri aliorumque adducit et transcribit. Lingua operis vetero-slavica est, elementis tamen linguae ucrainae hic inde ornata. Hac de causa, quod « *Liber de fide* »

<sup>21</sup> FILARET GUMILEVSKYJ, *Obzor Russkoj Duchovnoj Literatury*, ed. III, Petropoli 1884, n. 154, p. 171-172.

<sup>22</sup> A. PALMIERI, *Theologia Dogmatica Orthodoxa*, I, Florentiae 1911, p. 787.

<sup>23</sup> P. DIAČYŠYN, *De Basilio Suracensi prout theologo et polemista anticalholico* (Excerpta ex dissertatione ad Lauream), Romae 1944, p. 15-24.

<sup>24</sup> IBIDEM, p. 20-24.

Basilii Suražskij tamquam unus ex fontibus « *Libri de fide Ps. Nathanaelis* » extitit, ad illum in altera parte nostrae dissertationis redire necessarium erit.<sup>25</sup>

### Art. III. — Quaestio de Antichristo et scripta polemica Zizanii.

Sub influxu « *Libri de fide Basilii* » notus polemista anticatholicus, cui infra specialem articulum dicavimus, Joannes Vyšenskyj, decursu anni 1589 vel 1590 opusculum exaravit, cui titulus est: « *Brevis notitia de latinis incantamentis* ». <sup>26</sup> Ad argumentum operis quod attinet, Vyšenskyj, ut ex comparatione duorum operum constat, e « *Libro* » Basilii suum argumentum sumpsit, etsi materiam populari modo exposuerit. Proprium Joannis Vyšenskyj in hoc solummodo est, quod ipse, ad instar auctoris « *Responsi ad Latinos ex eorum libris* », Romanum Pontificem cum Antichristo identificare conatur. Non excluditur tamen, immo sat probabile est, Joannem Vyšenskyj influxum libri Martini Krowicki: « *Effigies Antichristuum* », anno 1570 editi, subiisse.

Tempore, quo opusculum Joannis Vyšenskyj lucem aspexit, plures Antistites Ecclesiae Ucrainae et Alboruthenae, duce episcopo Volodymiriensi Hipatio Potij,<sup>27</sup> ad Unionem Florentinam renovandam vehementer adlaborabant. Non fuit ideo factum absconditum, theoriam protestanticam de Papa-Antichristo, quam Vyšenskyj in medium protulit, influxum pessimum pro Unione ineunda inter Orthodoxos exercere potuisse. Exinde ut damnosus effectus praeveniret, Hipatius Potij, anno 1595, Vilnae, libellum sub tit « *Unio vel expositio principiorum articulorum ad unionem Græcorum cum Ecclesia Romana* », <sup>28</sup> edidit. Secundum H. Potij, qui mentem suam in « *Unione* » clare patefecit, tres articuli fidei maioris et duo minoris momenti distinctionem inter Ecclesiam Orientalem et Latinam efficiunt. Articuli maioris momenti sunt: processio Spiritus Sancti, primatus Romani Pontificis et purgatorium; minores autem: Kalendarium et quaestio

<sup>25</sup> Nonnulli opinantur librum Basilii ante omnia contra opus « *De unitate Ecclesiae* » Skargae directum fuisse. Cfr. V. ZAVITNEVIČ, o.c., p. 56.

<sup>26</sup> Opusculum hoc in lucem prodiit in *Akty Južnoj i Zapadnoj Rossiji*, t. II, p. 254-270; cfr. I. FRANKO; *Ivan Vyšenskyj i jeho tvory*, Leopoli 1895, p. 100-148.

<sup>27</sup> De vita et activitate pro bono Ecclesiae Unitae Hipatii Potij, episcopi Volodymirensis atque metropolitae Kioviensis (1592-1600-1613), videas: I. SAVYCKYJ, *Ipatij Potij Jepyskop Volodymyrskyj i Mytropolyt Kyjivskyj*, in « *Nyva* », X, Leopoli 1913, p. 72-82, 129-139, 177-181, 301-309, 358-371, 422-434, 458-474, 519-531, 579-595, 645-664.

<sup>28</sup> RIB, t. VII, p. 111-168; cfr. C. STUBZIŃSKI, *Pierwszy występ literacki Hip. Pocięja*, Leopoli 1902.



de Antichristo. In favorem priorum articulorum, scilicet ad eos in sensu catholico intelligendos, argumenta praesertim ex Patribus Orientalibus sumit. Ad alios quod attinet, dicit eos minimi momenti et in particulari quaestionem de Antichristo, quae nonnisi malitiosum figmentum mentis protestantium esse. In fine libelli adhortationem ad omnes Orthodoxos de certamine contra protestantes in praxim deducendum exhibet.

Contra Hipatium Potij ejusque asseclas Stephanus Zizanij,<sup>29</sup> professor et praedicator protestantizans, anno 1596 « *Demonstrationem sancti Cyrilli Hierosolimitani de Antichristo et ejus lege* » divulgavit.

St. Zyzanij tempore quo Unio Ecclesiae Ucrainae et Alboruthenae cum sede Romana feliciter Romae et Brestae inita est, in societate Ucraina claruit et contra Unionem hanc et Ecclesiam Catholicam totis viribus et calamo facili et mordaci certavit.

Jam anno 1595 S. Zizanij opus sub tit. « *Katechisis* » edidit, in quo, secundum Żebrowski,<sup>31</sup> decem errores inveniuntur: 1) Christus non est mediator noster apud Deum; 2-5) Spiritus Sanctus non est spiratio, non est Donum Dei, neque Digitus Dei et a solo Patre procedit; 6-8) non datur purgatorium et ultimum judicium universale nec peccatores in infernum, nec justi in paradysum intrant; 9) haeretici sunt, qui panem fermentatum ad Eucharistiam conficiendam non adhibent; 10) haeretici sunt, qui infantibus Eucharistiam accipere denegant.

Anno 1596, postquam Unio Ecclesiae Ucrainae et Alboruthenae cum Sede Romana renovata est et episcopi obedientiam Romano Pontifici juraverunt, Zizanij suam « *Demonstrationem S. Cyrilli* »,<sup>32</sup> de qua supra mentionem fecimus, divulgavit. In opere hoc ipse, XV-am catechisim illuminandorum S. Cyrilli Hierosolimitani<sup>33</sup> commentans, in doctrina Ecclesiae catholicae signa adventus Antichristi detegisse affirmat immo ad persuasionem pervenisse, Ecclesiam Catholicam jam regnum Antichristi eiusque caput, scil. Papam verum Antichristum esse.

<sup>29</sup> De Zizanio videas: V. ZAVITNEVIČ, *o.c.*, p. 110-135; A. BIELAVSKIJ, *Stefan Zizanij*, in « *Volynskija eparch. viedomosti* » 1887; A. LYLOV, *O tak nazyvajemoj Kyryllovoj knige*, Kazan 1857; C. STUDYNSKYJ, *o.c.*, p. 142-166.

<sup>30</sup> Nostris tamen diebus hoc opus non est notum, sed scimus de illo ex opere F. ŻEBROWSKI, *Kąkol który rozsiewa Stephanek Zizania w cerkwiach ruskich w Wilnie*, Vilnae 1595. Secundam editionem operis Żebrowski C. Studynskyj in PURML, V, Leopoli 1906, p. 13-30, curavit.

<sup>31</sup> IBIDEM; cfr. V. ZAVITNEVIČ, *o.c.*, p. 121; K. STUDYNSKYJ, *Perestoroha*, *o.c.*, p. 149-151.

<sup>32</sup> Reproducta a K. STUDYNSKYJ in *Pamjatky ukrajinsko-ruškoji movy i literatury*, t. V, Leopoli 1906, p. 31-200.

<sup>33</sup> Cfr. PG, XXXIII, col. 870-915.

Demonstratio haec Zizanij tamquam admonitio pro Orthodoxis concepta fuit, ne ipsi in reticulum Antichristi caderent, sed fideles Ecclesiae Orientali remanerent.

Procul dubio hoc opus magnam obtinuit apud Orthodoxos famam, eo vel magis, quod Auctor ex praedicatione illius insignis Patris Ecclesiae Orientalis sibi occasionem loquendi sumpsit ejusque verbis suam thesim probare conatus est.

De quaestione de Antichristo, ex eo quod in « *Libro de fide Ps. - Nathanaelis* » tangitur, in secunda parte quaedam addenda sunt. Hic tantum hoc unicum notare utile ducimus: iam hoc tempore opera polemica dissidentium magis magisque influxui protestantium, contra quem strenue suo tempore pugnabat Basilius Surazskyj, obnoxia esse.



CAPUT II  
DE OPERIBUS POLEMICIS  
POST UNIONEM BERESTENSEM

ART. 1: POLEMICA DE LEGITIMITATE UNIONIS BERESTENSIS. — ART. 2:  
DE JOHANNE VYŠENSKYJ ET GEORGIO ROHATYNEC.



## CAPUT II

### DE OPERIBUS POLEMICIS POST UNIONEM BERESTENSEM

Promulgatio Unionis Ecclesiae Ucrainae et Albotuthenae cum Sede Romana a sex episcopis simul cum metropolita<sup>1</sup> die 6 Octobris 1596, in synodo Berestensi facta, divisionem inter clerum et fideles horum populorum procuravit atque novum momentum in certamina polemica de Unione introduxit.

De causis dissidii seu rationibus curnam magna pars populi cum duobus episcopis et cum praepotenti principe C. Ostrožskyj Unioni adhaerere renuit, non est scopus nostri laboris, ut inquiramus et iudicium non tam facile proferamus. Attamen contra illos, qui omnia impedimenta Unionis solummodo apud Ucrainos et Alboruthenos quaerere consueverunt, affirmare fas nobis esto, talem opinionem a veritate longe abesse. Plurimis enim argumentis luculenter probatur, verae iustaeque Unioni non sat rectam et adversam nocuisse opinionem Polonorum, qui opere divino ad res politicas abutentes deducebant: « Ruthenos debere Polonos fieri ut sint catholici, itaque ad ritum latinum Polonorum reduci, et in hoc ritu Polonos fieri ».<sup>2</sup> Nihil ergo mirum, quod omnis actio unionistica, in qua Poloni partem habebant, Orthodoxos exasperabat, etiam hisce in casibus, quando quidam Poloni bona intentione egissent.

Opera polemica hac occasione conscripta tam copiosa sunt, ut opus vere arduum esset, quamdam bene ordinatam tractationem instituere. Hoc non obstante, ut expositionem plus minusve claram reddamus, materiam ipsam et argumenta principaliora post promulgationem Unionis tractata, duobus absolvemus capitibus.

---

<sup>1</sup> Metropolita Michaël Rahoza; episcopi: Hipatius Potij, Cyrillus Terleckyj, Hermogenus Polocensis, Johannes Hohol, Dionysius Zbirujskyj. Absentes: Michaël Kopystenskyj et Gedeon Balaban, qui Unioni adhaerere nolebant et simul cum legatis patriarcharum Constantinopolitani et Alexandrini Nicephoro et Cyrillo Lucaris atque cum principe Constantino Ostrožskyj propriam synodum adunati sunt. In qua synodo episcopos unitos damnaverunt.

<sup>2</sup> MICHAËL MALINOWSKI, Praefatio ad « *Annales Ecclesiae Ruthenae* » Michaëlis Harasiewicz, Leopoli 1862, p. IV.

### Art. I. — Polemica de legitimitate Unionis Berestensis.

Statim post Unionem Berestensem proclamatam, Orthodoxi eam prout actionem illegitimam habebant et episcopos, qui Unioni adhaeserunt de egoismo deque inobedientia patriarchis debita accusabant.<sup>3</sup>

« Uniti », ut ab accusationibus sese liberarent, « *Justam descriptionem... Synodi Berestensis* » ediderunt, quae tamen a dissidentibus igni tradita est, ut ne unum quidem exemplar ad posteros pervenerit; notitia de hoc libro solummodo ex alio libro « Ἀντίρρησις »<sup>4</sup> habemus.

Anno 1597 P. Skarga, Cracoviae, aliud opus sub tit.: « *Synodus Berestensis et defensio synodi Berestensis* » publici juris fecit,<sup>5</sup> in quo gesta synodi describit defendique illam contra accusationes, nec non doctrinam catholicam de primatu Romani Pontificis exponit.

Huic operi dissidentes opposuerunt descriptionem propriae Synodi, cui titulus est: « *Ekthesis, sive parva seges rerum et quaestionum in synodo particulari Berestensi agitatarum* ».<sup>6</sup> Auctorem operis minime novimus, sed consulto suspicari possumus<sup>7</sup> ipsum in hac synodo praesentem fuisse. « Ekthesis » tantummodo ad descriptionem rerum et quaestionum in synodo agitatarum, sine ullo commentario, restringitur.

Eodem quoque anno contra operam P. Skargae, « lucem vidit, ut dicit Hruševskij,<sup>8</sup> igniferum missile majoris ponderis, directum in ipsum centrum controversiae, liber nempe Christophori Philaethi « Ἀπόκρισις ». « Ἀπόκρισις » seu « *Responsio* », in lingua polonica, Vilnae an. 1957 editum est et iam anno 1598 habetur ejus versio ucrainica cum nonnullis mutationibus in textu.<sup>9</sup> Christophorus Philaetus, auctor subscriptus operis non est nisi nomen ficticium Martini Bronskij, secretarii Regis et auctoris libri latini: « *Descriptio Tartariae* »; de eius vita pauca scimus, nisi quod magna gaudebat experientia in rebus politico-socialibus et assecla protestantismi fuit, licet sese verum Orthodoxum saepius declararet.<sup>10</sup>

« Ἀπόκρισις » in quatuor dividitur partes. In prima parte Auctor narrationem Petri Skarga refellere conatur et multa documenta pri-

<sup>3</sup> Cfr. BRÜCKOER, *o.c.*, p. 590.

<sup>4</sup> Cfr. IBIDEM.

<sup>5</sup> RIB, XIX, col. 185-328.

<sup>6</sup> Edita Cracoviae an. 1597; Reproducta ab A. N. POPOV in ČOMU, Mosquae 1892, Apr. martius, p. 1-30; et in RIB, t. XIX, col. 329-76.

<sup>7</sup> V. ZAVITNEVIČ, *o.c.*, p. 148-9.

<sup>8</sup> M. HRUŠEVSKIJ, *o.c.*, t. VI, p. 547.

<sup>9</sup> RIB, t. VII, col. 1003-1820. N. SKABALANOVIČ, de ea integrum volumen edidit: *Ob Apocrizisie Christophora Filaleta, Petropoli 1873.*

<sup>10</sup> Cfr. M. VOZNIAK, *o.c.*, p. 207-8.

vata et officialia adducit, quibus demonstrare vult Unionem Berestensem illegitimam actionem quorundam episcoporum fuisse. Rationes autem quibus episcopi ad Unionem movebantur, secundum Bronskyj, non sunt indolis religiosae, tantummodo ut aspirationes egoisticae considerandae sunt spe honorum civilium una cum bonis materialibus obtinendorum susceptae. In secunda parte legitimitatem synodi dissidentium (anno 1596 habitae, scilicet tempore, quo synodus Unitorum celebrabatur) defendit opinionemque suam asserit veram vocem totius Ecclesiae Ucrainae et Alboruthenae hanc synodum solummodo fuisse. Tertia pars tota est in impugnando primatu Papae; in quarta demum sermonem de patriarchis habet, nec non thesibus P. Skargae, solos episcopos in synodo deliberandi jus habere, principia Ecclesiae « democraticae » contraponit. De opera Bronskyj in secunda parte nostrae dissertationis aliquid addendum est; hic tantummodo aliquas animadversiones criticas addere liceat. Procul dubio admittere debemus auctorem hujus operis quoad ordinem et rem suum objectum bene descripsisse. Ejus « Ἀπόκρισις » tamquam prima systematica et doctrinalis negatio papatus ex parte dissidentium Ucrainorum et Alboruthenorum consideranda est.<sup>11</sup> Attamen argumenta ad theses suas demonstrandas apud praedecessores suos in Ucraina non invenit, quia numquam potestas Romani Pontificis tempore praeterito in forma clara et expressa in Rus-Ucraina denegata est. Sive sponte sive invitum argumenta ista apud protestantes quaerere debuit praesertim apud Sibrandum Lubertum, Luterum et Calvinum;<sup>12</sup> qua de causa a plurimis dissidentibus posterioris aetatis repraesens est.<sup>13</sup>

Ex parte Unitorum responsio ad opus Martini Bronskyj anno 1599 evulgata est. Antequam tamen illa in lucem prodiit, Hipatius Potij iam anno 1598 ad principem Ostrožskyj, sub cujus influxu Bronskyj Ἀπόκρισιν suam exaravit, epistolam scripsit,<sup>14</sup> in qua, Unionem laudibus exornans, principem ad eam vocat. Jussu tamen principis Clericus quidam Ostrogensis contra epistolam Hipatii Potij « *Responsum ad scriptum* »<sup>15</sup> typis dedit. Ibi auctor Unionem non ex voluntate

<sup>11</sup> Cfr. K. STUDYNSKYJ, *Perestoroħa*, p. 167.

<sup>12</sup> Cfr. IBIDEM, p. 169.

<sup>13</sup> Non obstante hoc, quod Skabalanovič illum tamquam Orthodoxum aestimavit, Golubjev (Trudy kijevskej duchovnoj Akademji 1876, t. I, p. 139-147) illum non fuisse Orthodoxum probat; cfr. etiam K. CHARLAMPVIČ, *Zapadnorusskija pravoslavnyja školy XVI i načala XVII vieka...*, Kazan 1898, p. 273.

<sup>14</sup> Publici juris facta est in RIB, t. XIX, col. 983-1040 et in Ak. JIZR, t. I, n. 224, p. 280-289.

<sup>15</sup> RIB, t. XIX, col. 377-476. Quisnam fuerit ille Clericus, inter plures auctores alius aliter sentiunt. Secundum Brückner ille quidam sacerdos Abraham fuit (o.c., p. 596). C. STUDYNSKYJ hypothesim ponit illum Meletium Smotryckyj fuisse (*Pamjatky ukr.-ruskoji movy i literatury*, t. V, p. XXXIII-L). Sententiam tamen ejus reicit Hruševskyj (o.c., VI, p. 495) et nostris diebus



Dei factam esse, sed potius contra eam affirmat. In alia parte «Respon-  
si» primatus Romani Pontificis confutatur, nec non sub finem «*Hi-  
storia de listrico Concilio Florentino*» adjungitur.

Eodem quoque tempore dux Ostrožskyj publici juris facere jus-  
sit epistulas<sup>16</sup> patriarchae Alexandrini Meletti Pigas (1590-1601), qui  
animos Ucrainorum Alboruthenorumque confirmare conatus est, ut  
in «Orthodoxia» fideles remansissent. Idem Meletius Pigas oblitus  
quoque non est principaliorem promotorem Unionis Hipatium Potij  
esse, quia ad hunc sane die 15 Octobris 1599 peculiarem scripsit epi-  
stulam, in qua redire ad «Orthodoxiam» eum exhortabatur. H. Potij  
tamen, Meletio respondens, dogmata Ecclesiae Catholicae defendit  
et Ecclesiam Graecam eo, quod ipsa influxui protestantico obnoxia  
est, de haeresi accusat.<sup>17</sup>

Eodem anno (1599) responsum, de quo supra dixi, ad opus Bron-  
skyj sub titulo «'Αντιρρησις» seu «*Apologia contra Christophorum  
Philalethum*» in lingua ucrainica (et anno 1600 in lingua polonica)  
editum est.<sup>18</sup> Sub aspectu litterario «'Αντιρρησις» ex omnibus scriptis,  
ab Unitis adversus dissidentes editis, efficacissimum evasit.<sup>19</sup> De hujus

quoque B. WACZYNSKI eam negat (*Czy Antygrafe jest dziełem Maxyma Melecjusza  
Smotryckiego*, in «*Roczniki Uniwersytetu Lubelskiego*», a. 1949, t. I, pp. 183 ss).  
Contra «*Responsum*» Clerici Ostrogensis exaravit Potij suum «*Responsum  
ad epistulam cujusdam Clerici Ostrogensis*» ubi denuo Unionem primatumque  
Romanum defendit (videas: RIB., t. XIX, col. 1041-1122). Idem Potij anno 1599  
alteram epistulam ad principem Ostrožskyj misit, in qua etiam atque etiam  
ad Unionem illum vocat. Epistula illa ad posteros tamen non pervenit, de qua  
scimus ex altera «*Responsione*» quam contra istam epistulam, jussu ejusdem  
principis, Clericus Ostrogensis exaravit (*Pamjaky ukr. ruskoji movy i litera-  
tury*, t. V, p. 201-229; de epistula Hipatii Potij mentio expressis verbis habetur  
in pag. 201).

<sup>16</sup> Primam epistulam post Unionem in synodo Berestensi promulgatam ad  
principem Ostrožskyj et omnes fideles Orthodoxos Meletius Pigas die 4 Aprilis  
1597 misit. In hac epistula probavit acta synodi Orthodoxorum (1596), admo-  
nens Orthodoxos, ut tamquam normam agendi Traditionem Patrum decretaque  
septem primorum Conciliorum oecumenicorum haberent; et congressus una  
cum Unitis haberi interdixit (Ak. JIZR, II, n. 162, p. 195-6). Die 27 aprilis 1597  
idem Pigas misit Ucrainis alteram epistulam, in qua depositionem metropolitae  
et episcop. unitorum comprobavit (MAKARIJ, *o.c.*, X, p. 242-3). De aliis epistulis  
Meletii Pigas videas: I. MALYŠEVSKYJ, *Alexandrijskyj patriarch Meletij Pigas i  
jego ucastije v dielach Cerkvi*, t. II, Kioviae 1872; MAKARIJ, *l.c.*, p. 286; E.  
LEGRAND, *Lettres de Melèce Pigas antérieures à sa promotion au patriarchat*,  
Parisiis 1902; cfr. I. SAVYCKYJ, *o.c.*, p. 587-588.

<sup>17</sup> Responsum Hipatii una cum epistula ad ipsum Meletium Pigas typis  
datum est in collectione: *Kazania i homilie Hip. Pocijeja*, Suprasl, 1714; cfr.  
M. HRUŠEVSKYJ, *o.c.*, VI, p. 560, nota 4.

<sup>18</sup> Reproducta in duplici textu in RIB, t. XIX, col. 477-1122.

<sup>19</sup> M. HRUŠEVSKYJ, *ibidem*, p. 560.

auctore duae dantur sententiae; Ign. Stebelskyj,<sup>20</sup> E. Legrand,<sup>21</sup> Golubjev,<sup>22</sup> et Charlampowič<sup>23</sup> opinantur auctorem Petrum Arcudium fuisse<sup>24</sup>; Skabalanovič<sup>25</sup> tamen Brückner,<sup>26</sup> Studynskyj,<sup>27</sup> Hruševskyj<sup>28</sup> et demum Wozniak<sup>29</sup> eum Hipatium Potij fuisse probant. Nobis secunda sententia admittenda videtur sicut et persuasum est Cyrillo Studynskyj, qui Hipatium Potij cum auxilio Petri Arcudii hoc opus scripsisse demonstrat. Auctor « Ἀντίρρησιν » descriptionem synodi Berestensis a Philaeto factam tamquam falsam refellit accusatque eum de propensione versus Protestantes, praesertim in doctrina de praesentia reali Christi in SS. Eucharistia et de transsubstantiatione.

Hac periodo, istius nempe acerrimae polemicae de legitimitate Unionis Berestensis, ab utraque parte etiam scripta stricte historica spiritu polemico omnino repleta evulgantur, in quibus « Uniti » sententiam tenent: Unionem Berestensem nonnisi renovationem Unionis Florentinae esse et « Dissidentes », econtra, omnes in eorum affirmatione impugnanda sunt.

Ita apparet, edita a Clerico Ostrogensi, « *Historia de listrico concilio Florentino* », <sup>30</sup> de qua mentionem iam supra fecimus. Ignotus auctor, etsi narrationem suam « Historiam » vocat, tamen nihil aliud quam quoddam figmentum mentis confecisse putamus.

Secundum eius « Historiam » in Concilio Florentino Papa patriarcham Constantinopolitanum donis corripuit; multi, ut e. g. Marcus Ephesinus ejusque amici propter violentiam synodum reliquerunt; plures metropolitae et episcopi tormentis lacerati sunt; multi praeterea, inter quos episcopus Susdalensis Abraham, vi coacti, acta synodi subscriperunt.

<sup>20</sup> IGN. STEBELSKI, *Dwa wielkie swiatta*, Leopoli 1866, t. II, p. XIV-XVI.

<sup>21</sup> EMILE LEGRAND, *Bibliographie Hellénique*, t. III, Pierre Arcudius, Parisiis 1895, p. 221-222.

<sup>22</sup> S. GOLUBJEV, *Bibliografičeskija zamiečanja o niekatorych staropiečatnych cerkovno-slovjanskich knigach preimuščestvienno konca XVI i XVII stoletij*, Kioviae 1876, p. 34-41.

<sup>23</sup> K. CHARLAMPOVIČ, *o.c.*, p. 494.

<sup>24</sup> Petrus Arcudius († 1633), in Corcyra insula, anno 1562 natus, ab anno 1578 Collegii graeci Sancti Athanasii Romae alumnus fuit et anno 1591 ejusdem collegii primus doctor in sacra theologia extitit. Ad Unionem Ucrainorum Alboruthenorumque cum Ecclesia Catholica parandam multum adlaboravit. Cfr. I. SAVYCKYJ, *o.c.*, p. 595; Articulus P. PETIT in « Dictionnaire de Théologie Catholique », t. I, pars II, Parisiis 1923, col. 1771-1773.

<sup>25</sup> SKABALANOVIČ, *o.c.*, p. 56-57.

<sup>26</sup> BRÜCKNER, *o.c.*, p. 598.

<sup>27</sup> C. STUDYNSKYJ, *Chto buv autorom Antirrhesis-a?* in « Zap. N.T.Š. », t. 35-36 (1900); p. 1-20.

<sup>28</sup> M. HRUŠEVSKYJ, *o.c.*, VI, p. 559.

<sup>29</sup> M. VOZNIAK, *o.c.*, 218.

<sup>30</sup> Auctor « Historiae » non est adhuc notus. Quidam auctores putant eum Clericum Ostrogensem fuisse; cfr. V. ZAVITNEVIČ, *o.c.*, 180-184.

Huic fictae « Historiae » ex parte catholica Hipatius Potij responsum dedit. Anno nempe 1603 Vilnae, in lingua ucrainica (et anno 1604 in lingua polonica) sub nomine Petri Fiedorowicz opus in lucem prodiit, cui titulus est: « *Defensio Sanctae oecumenicae Synodi Florentinae pro Orthodoxis Ruthenis conscripta* »;<sup>31</sup> hoc opus in Bibliographia contemporanea sub nomine « *Apologia Synodi Florentinae* »<sup>32</sup> nota est. Opus hoc Hipatii Potij relate ad Unionem Berestensem magni fuit momenti; nam « probare, ut observat bene Zavitnewiĉ,<sup>33</sup> Unionem Florentinam suo tempore in Ruś-Ucraina perdurasse, nihil aliud significat quam probare eo ipso Unionem Berestensem legitimam esse ». Ad auctoritatem operis suae augendam Hipatius Potij anno 1605 Vilnae epistulam metropolitae Misaelis ad Papam Sixtum IV, nuper repertam, publicavit. Ex qua epistula, anno 1476 scripta, relationes inter Ecclesiam Ucrainam et Romanam tunc temporis probabiles fuisse apparet. Dissidentes tamen hanc epistulam respuerunt tamquam adulteratam. Hodie autem eam authenticam esse omnibus iam compertum est.<sup>34</sup>

Mox « Uniti » etiam opusculis characteris magis popularis, probabiliter ipso Hipatio Potij auctore, positiones suas defendunt. Ex his opusculis sequentia notanda sunt: 1) « *Colloquium Berestensense cum sodali* » (jam anno 1603 scriptum); 2) « *Resurrectus Nalyvajko* » (Vilnae 1607). Ad nostra tempora scripta haec non pervenerunt; de his ex aliis tantummodo scriptis, tunc temporis exaratis et praesertim ex operibus Meletii Smotryckij<sup>35</sup> notitia habetur.

Ex parte « Dissidentium » in polemica anticatholica hujus temporis Johannes Vyšenskyj et Auctor quidam « Admonitionis » primas tenent, de quibus nunc sermo.

## Art. II. — De Johanne Vyšenskyj et Georgio Rohatynec polemistis anticatholicis.

Praecipui scriptores qui in primo decennio saeculi XVII polemicae anticatholicae indulserunt, fuere: Johannes Vyšenskyj et auctor « Admonitionis », qui cum Georgio Rohatynec, ut hodie compertum est, identificatur. Opera tamen eorum, sicut et scripta Principis

<sup>31</sup> Cfr. C. STUDYNSKYJ, *Pamjatky ukrainsko-ruskoji movy i liletatury*, t. V, p. XXVII.

<sup>32</sup> J. KARATAJEV, *Opisanije Slaviano-russkich knig napiečanych kyrillovskimi bukvyami 1491-1730*, Petropoli 1878, 302.

<sup>33</sup> *O.c.*, p. 187.

<sup>34</sup> Cfr. C. STUDYNSKYJ, *Perestoroha*, p. 138-139. M. HRUŠEVSKYJ, *o.c.*, V, p. 531-532, VI, p. 561. Epistula illa iterum in AJZR, pars I, t. VII, p. 199-231 edita est.

<sup>35</sup> BRÜCKNER, *o.c.*, p. 601-2; M. VOZNIK, *o.c.*, p. 220.

Kurbskyj atque monachi Artemii,<sup>36</sup> qui non tanti sunt momenti ac opera J. Vyšenskyj et G. Rohatynec, typis suo tempore edita non sunt, verumtamen in apographis manu scriptis circumferebantur.

### 1. — De J. Vyšenskyj ejusque scriptis polemicis.

Johannes Vyšenskyj, in Sudova Vyšnia prope Leopolim (Ucraina Occidentalis) circa medietatem saeculi XVI, parentibus humilis condicionis natus est. Tota ejus activitas in campo litterario in monte Athos explicabatur. De ejus vita in patria haud multa sunt nota, nisi quod ante suum recessum in montem Athos variis in civitatibus Ucrainae (Luceoriensi, Ostrogensi et aliis) commoratus sit. Nihil quoque notum est de eius vocatione religiosa, utrum scilicet in patria vitam monasticam amplexus est, an vero in monte Athos. Novissima sua ad annum 1621 pertinent.<sup>37</sup>

Eximiam formationem scientificam eruditionemque nunquam acquirere valuit; etenim ipse testatur ad « grammaticarum minimarum » studium se non contulisse.<sup>38</sup> Nihil ergo mirum si ejus scripta, sub aspectu doctrinali, illam celebritatem ac opera Basillii Surazskyj et Christophori Philalethi sortita non sint. Quod tamen defuit ex doctrina, supplevit voluntas et vehemens loquendi modus; hodie hujus generis scriptores nomine « publicistae » nuncupantur. Abhinc an. 1588 usque ad a. 1614 circa viginti opuscula vel litteras ipse conscripsit. In nostro articulo, operibus indolis asceticae omissis, solummodo summariam analysim operum plane polemicorum dabimus.

Primum hujus generis opus est « *Brevis notitia de latinis incantamentis* », de quo iam supra locuti sumus. Ex aliis notanda veniunt:

1) « *Epistula ad Principem Basilium (Constantinum) Ostrožskyj et ad omnes Orthodoxos Malorussiae (Ucrainae)* », quam Vyšenskyj anno 1598 (saltem cum magna probabilitate) scripsit<sup>39</sup> et contra opus « *Synodus Berestensis et Defensio Synodi Berestensis* » Petri Skarga direxit. Ipsum opus Petri Skarga Vyšenskyj id temporis non legit, sed tantum ex « Ἀπόκρισιν » notitiam de eo sat tenuam habuit. In hac epistula gaudium suum exprimit gratiasque Deo agit, quod non omnes Orthodoxi Unioni adhaeserint. Postea, « superbiam romanam » insectans, Ecclesiam Catholicam de rationalismo accusat. Ipsa enim, secundum Vyšenskyj, non in Sacris Scripturis, sed in

<sup>36</sup> Ipse profugus, sicut A. Kurbskyj, ex Russia Moscovita fuit (secunda medietate s. XVI). De ejus operibus videas *Poslanija starca Artemija XVI vjeka*, in RIB, t. IV, Petropoli 1878, col. 1201-1448; S. G. VILINSKIJ, *Poslanija starca Artemija*, Odessa 1906.

<sup>37</sup> Cfr. I. FRANKO, *Ivan Vyšenskyj i jeho tvory*, Leopoli 1895.

<sup>38</sup> M. VOZNIJAK, *o.c.*, 126.

<sup>39</sup> Ak. JIZR, II, p. 205-224; I. FRANKO, *o.c.*, p. 175-186.

humana ratione fiduciam suam posuit atque istius rationis justificationem in Platonis et Aristotelis philosophia quaerit. Ratio autem, juxta mentem Joannis Vyšenskyj, nonnisi venenum et scientia mundana, nonnisi causa decadentiae Ecclesiae Catholicae consideranda est. De gloria, potestate et honore, quibus secundum P. Skargam Ecclesia Catholica gaudet, Vyšenskyj tamquam de signis ejus commercii cum diabolo loquitur.

2) « *Epistula ad metropolitam et episcopos unitos* », anno fere 1598 scripta.<sup>40</sup> Auctor miratur ante omnia undenam episcopi uniti tam eximiam sanctitatem habeant, ut in rebus fidei diiudicare ausi sint. Secundum nostrum anachoretam, quinque sunt criteria ex Evangelio sumpta, quibus sanctitas hominum dignosci potest, nempe: Fides, praeceptorum observatio, abnegatio propriae vitae, abdicatio a quocumque genere bonorum hujus mundi et denique « necessaria egestas ». Apud episcopos unitos vero ea omnia secundum Vyšenskyj desiderantur. Praeterea in hac epistula I. Vyšenskyj confutat quasdam theses Petri Skarga in opere eius « *Defensio Synodi...* » expositas; et quidem: a) Papatum tyranniam definit; b) in rebus ecclesiasticis deliberandis jus laicorum defendit; c) Concessionem hujusmodi juris laicorum sodalitatibus in Ucraina ex parte Patriarchae Jeremiae justificat eo, quod episcopi et alii praelati moribus corrupti inventi sunt; d) repraehendit Unitos, quod ipsi a patriarchis Christi se sejunxerunt et ad Antrichristum-Papam confugerunt; e) demum, contra Petrum Skarga, excogitatum a Dissidentibus miraculum, quod tempore celebrationis Missae in synodo Berestensi vinum ab Unitis ad Liturgiam adhibitum in aquam mutatum esset, tamquam factum historicum admittit.<sup>41</sup>

3) « *Brevis responsio Theoduli* » (Theodulus-nomen ementitum J. Vyšenskyj) contra secundam editionem operis « *De Unitate Ecclesiae...* » Petri Skarga. — Responsonem hanc exaravit Vyšenskyj probabiliter anno 1600, postquam librum Petri Skarga, ab episcopo Balaban per patriarcham Meletium Pigas et quemdam « patrem Isaac » obtinuit. In primis auctor notitiam de combustione primae editionis operis « *De Unitate Ecclesiae...* », quam notitiam ipse Skarga vulgabat,<sup>42</sup> tamquam mendacium refellit reprehenditque eius intercessionem apud regem Sigismundum III Vasa, ut sua potestate Orthodoxos

<sup>40</sup> Ak. JIZR, II, p. 227-254; I. FRANKO, o.c., p. 187-240.

<sup>41</sup> Hoc opusculum ac « *Incitatio sapientis Latini ad stultum Ruthenum ad disputationem* », de quo statim infra, anno 1878, in « Trudy Kievskoj Duchovnoj Akademiji » primum edita sunt (menses: Aprilis, Majus, Junius: « Priloženije », p. 67-147). Postea adjuncta sunt ad opus S. GOLUBIEV, *Kievskij mitropolit Petr Mohila i jeho spodvižniki*, Kioviae 1883, t. I, Priloženije, p. 108-145. Praecipua opera: V. ZAVITNEVIČ, o.c., p. 65-84; I. FRANKO, o.c., p. 33-76; 241-300; 322-348.

<sup>42</sup> P. SKARGA, *O jedności Kosciola Bożego*, Cracoviae 1885, p. 2.

ad Unionem cogeret,<sup>43</sup> tamquam actionem antiapostolicam et imitationem vexatorum Christi ejusque discipulorum. Ad doctrinam autem Petri Skarga quod attinet, notandum est: 1. Ipsum cum Skarga convenire in hoc: verum esse ad salutem animae, antequam verum verbum Dei cognoscatur, veram Ecclesiam scire oportet; etenim sine adhaesione ad veram Ecclesiam nemo salvari potest;<sup>44</sup> 2. De notis Ecclesiae disceptans, argumenta Petri Skarga<sup>45</sup> tamquam quamdam aedificationem Babyloniae aestimat; Babylon tamen nostris diebus Roma est; Nabuchodonosor — rex Poloniae Sigismundus et simulacrum animatum, quod Sigismundus adorat, — Papa est.

4. « *Inciatio sapientis Latini ad stultum Ruthenum ad disputationem* », probabiliter anno 1607 exarata et item contra ejusdem opus Petri Skarga directa. — In opere hoc auctor praesertim magna cum vehementia contra primatum Romani Pontificis decertat. Ipse ut plurimum repetit antiquas accusationes Graecorum, quae originem a famoso canone XXVIII Chalcedonensi ducunt, nempe quod Patres Ecclesiae in primis Conciliis propria voluntate Sedem Romanam honorabant ea de causa, quia Roma caput Imperii fuit. Separatio autem Graecorum a Sede Romana, secundum Vyšenskyj, eandem rationem ac separatio Apostolorum ab apostolo-proditore Juda habet.

Haec de operibus polemicis anticatholicis Johannis Vyšenskyj dicentes, notare iuvat: ipsum non fuisse propugnatorem novarum idearum sicut Zizanj, M. Bronskyj vel postea Smotryckyj. Superstitione enim imbutus, Vyšenskyj tamquam defensor antiquarum opinionum, quae apud plebem infimamque partem cleri vigeant, extitit. Exinde contra hierarchiam ecclesiasticam superiorem et vehementius adhuc contra omne conamen appropinquandi ad Ecclesiam occidentalem vehementer pugnat.<sup>46</sup>

## 2. — De « Admonitione » Georgii Rohatyneć.

Influxus Johannis Vyšenskyj, saltem ex parte, etiam in libro sub tit. « *Admonitio* » (Perestoroha) videri potest. Opus hoc per multos annos typis datum non fuit; quo non obstante, in pluribus libellis manu scriptis in Ucraina circumferebatur et a multis historicis, qui originem Unionis Berestensis describebant, tamquam fons principalis adhibebatur.

<sup>43</sup> IBIDEM, p. 2-6.

<sup>44</sup> Cfr. IBIDEM, p. 9-15.

<sup>45</sup> Cfr. IBIDEM, p. 15-20.

<sup>46</sup> Cfr. M. HRUŠEVSKYJ, *o.c.*, VI, p. 550.



Secundum C. Studynskyj, qui in litteratura polemica hujus temporis valde peritus habetur, periodus conscriptionis operis « *Admonitio* » intra annos 1605-1608 ponenda est.<sup>47</sup>

Secundum autem Johannem Franko,<sup>48</sup> cujus opinionem tamquam probabiliorem ipse quoque C. Studynskyj<sup>49</sup> admittit, Georgius Rohatynec fuit auctor huius operis. Hodie tamen haec sententia a nemine confutatur, immo—confirmatur.<sup>50</sup> Unde et nos hac in re sententiam in favorem Georgii Rohatynec tenere debemus. De vita Georgii pauca sunt nota: civis enim Leopoliensis sodalisque confraternitatis Stauro-pigianae ejusdem civitatis fuit atque in sinu istius confraternitatis activitatem suam, pro bono populi Ucraini et Ecclesiae Orthodoxae explicavit, nec non contra Unionem in Synodo Berestensi et in Comitii (sejm) Varsaviensibus anno 1600 dimicavit.<sup>51</sup>

Argumentum operis eius jam prolixus ejusdem titulus indicat. Auctor suo scripto posteris « veram » historiam Unionis Berestensis tradere vult. Ad ejus mentem episcopi ucraini, qui antea subditi « sanctissimi oecumenici patriarchae Constantinopolitani » fuerunt, non quidem propter salutem animarum, verum tamen ob utilitates temporales eum relinquerunt et in ditionem Papae sese redigerunt, eo ipso confusionem inter Ucrainos Alboruthenosque provocantes. Causa principalis cur pars Ucrainorum et Alboruthenorum exemplum episcoporum secuta sit, penuria scholarum consequenterque ignorantia populi fuit. Si populus, secundum auctorem « *Admonitionis* », ignarus non fuisset, Ucraini et Alborutheni semper fideles patriarchis Constantinopoleos, ubi sola vera fides custodiebatur, mansissent. In secunda parte, quae secundum M. Vozniak<sup>52</sup> « *Admonitionis* » proprie dictae partem non faciebat, sed tantum postea ei adnexa fuit, auctor totus est in impugnando primatu Papae. Argumenta autem ad hoc a Basilio Surazskyj, Johanne Vyšenskyj et praesertim a protestanticis mutuatur.

In fine notandum est: pars historica « *Admonitionis* » tamquam fons ad descriptionem Unionis Berestensis, a Zacharia Kopystenskyj in ejus *Palinodia* facta, extitit.

<sup>47</sup> Historicus D. Zubryckyj edidit illam anno 1851 in « *Akty Zapadnoj Rossiji* », Petropoli, t. IV, p. 203-236. C. Studynskyj de illo opere scripsit: *Perestoroha*, Leopoli 1895. De tempore conscriptionis « *Admonitionis* » videas *ibid.*, p. 1-7.

<sup>48</sup> I. FRANKO, *Charakterystyka literatury ruskiej XVI-XVIII wieku*, in « *Kwartalnik Historyczny* », Leopoli 1892, p. 705.

<sup>49</sup> C. STUDYNSKYJ, *Perestoroha*, p. 1-7; cfr. BRÜCKNER, *o.c.*, p. 605.

<sup>50</sup> M. VOZNIAK, *o.c.*, p. 175-176.

<sup>51</sup> *IBIDEM*.

<sup>52</sup> *IBIDEM*, p. 175.

CAPUT III

DE MELETIO SMOTRYCKYJ  
ET ZACHARIA KOPYSTENSKYJ  
POLEMISTIS ANTICATHOLICIS

ART. 1: DE OPERIBUS POLEMICIS ANTICATHOLICIS M. SMOTRYCKYJ. —

ART. 2: DE Z. KOPYSTENSKYJ PROUT POLEMISTA ANTICATHOLICO.





### CAPUT III

## DE MELETIO SMOTRYCKYJ ET ZACHARIA KOPYSTENSKYJ POLEMISTIS ANTICATHOLICIS

Historia litteraturae polemicae circa Unionem Berestensem, ut notavimus in primo capite, in duas partitur periodos. Prima periodus finem habet cum celeberrima « *Palinodia* » Zachariae Kopystenskyj.

Compilatio autem quae dicitur « *Liber de fide* », nota etiam ut « *Knyha Nathanaëlis* », anno 1644 exarata est. Inde necessarium est, ut quaedam saltem innuamus de illa periodo, in qua opus hoc exaratum est. De secunda periodo tractare nobis hac de ratione tamen non expedit, quia « *Liber de fide* », sane juxta opera primae huius periodi compilatus est. Inde et tertium hoc caput, et primae partis nostrae dissertationis ultimum, de prima agit periodo, de praecipuis nempe polemistis huius periodi: Meletio Smotryckyj, et Zacharia Kopystenskyj.

### Art. I. — De operibus polemicis anticatholicis Meletii Smotryckyj.

Tota litteratura polemica, de qua supra locuti sumus, sterilis fuit: nemo alium convincere de propria veritate valuit. Scopus autem polemicae utrique parti clarus fuit. Unionis Ecclesiasticae principalis promotor, Hypatius Potij, cui debetur primum apud « *Unitos* » conamen ad faciliorem dissidentium accessum ad Unionem reddendum, cum tali scopo opus suum sub titulo: « *Harmonia seu concordia fidei, sacramentorum et Ritus Ecclesiae Orientalis cum Ecclesia Romana* » anno, 1608 Vilnae edidit,<sup>1</sup> in quo differentias inter utramque Ecclesiam ad minimum reducere conatus est.

Opus tamen Hypatii non solum neminem ad findem catholicam reduxit neminemque cum Ecclesia Catholica reconciliavit, sed potius magnam indignationem in castris Dissidentium provocavit et particulari modo Meletium Smotryckyj ad scribendum contra Unitos excitavit.

Antequam de Meletii operibus sermo instituat, pauca de ipsius vita dicenda sunt. Maximus Smotryckyj, qui vitam monasticam agens Meletii nomen assumpsit, circa annum 1577-1579, in pago Smotryč, vel in urbe Kamenec-Podilskyj, in Ucraina, nobili genere natus est.<sup>2</sup> Pater ejus Herasimus (Erasmus) munere professoris in academia

<sup>1</sup> RIB, t. VII, col. 169-222.

<sup>2</sup> JAC. SUSZA, *Saulus et Paulus Ruthenae Unionis, Meletius Smotricius*, ed. J. Martinov, Bruxellis 1864, p. 72; KOJALOVİČ, *Litovskaja cerkovnaja Unija*, Petropoli, 1801, t. II, p. 139.

Ostrogensi fungebatur<sup>3</sup> et notus nobis evasit suo opere « *Clavis Regni coelorum* ». Sub ductu patris, Maximus primis litterarum studiis incubuit. Ulteriora studia, ab anno 1594 usque ad annum 1596 (1601)?, sub speciali tutela Cyrilli Lucaris, tunc temporis protestantismo jam adhaerentis, in Academia Ostrogensi continuavit.<sup>4</sup> Patre vita functo Smotryckyj in tutelam principis Ostrožskyj omnino<sup>5</sup> venit. A duce Ostrožskyj anno 1601 noster Maximus missus est in Academiam Societatis Jesu, Vilnae, ubi disciplinis liberalibus et philosophiae operam dedit,<sup>6</sup> ex qua Academia, eo quod pro schismate pertinaciter pugnaret, expulsus est.<sup>7</sup> Anno 1606 in Germaniam profectus est, ubi in Universitatibus: Lipsiensi, Wittembergensi, Wurzburgensi et aliis superioribus studiis incubuit.<sup>8</sup> In Germania errores protestantismi, qui in animam ejus jam in Ostrog inserti erant, revixerunt et firmiores evaserunt.<sup>9</sup> In patriam rediens probabiliter per longum tempus apud varias familias nobiles magistri munere functus est.<sup>10</sup> Ab anno 1608 scribere contra catholicos coepit.<sup>11</sup> Initio stylum moderatum tenoremque defensivum servavit; deinde bellicosus evasit, calumniis in Romanum Pontificem scatens. Circa finem anni 1617, ad Unionem jam inclinans, ingressus est monasterium Sancti Spiritus, Vilnae. Ibi degens, relationes occultas cum Unitis habuit.<sup>12</sup> Anno 1620 a patriarcha Theophane in archiepiscopum in Sedem Polocensem, quam ab anno 1617 archiepiscopus unitus Josaphat Kuncevyč obtinebat, consecratus est.<sup>13</sup>

Post martyrium a S. Josaphat Kuncevič susceptum, Smotryckyj, quem opinio publica uti causam caedis istius Sancti defensoris Unionis accusavit,<sup>14</sup> in terrorem coniectus passus suos versus Constantinopolim et Orientem direxit.<sup>15</sup> Ibi quasi plenam ecclesiasticae vitae et disciplinae morumque corruptionem invenit. Postquam deplorandum statum Ecclesiae Orthodoxae bene perspexit et desperatus in

<sup>3</sup> I. SUŠZA, *o.c.*, p. 15; CHARLAMPOVIČ, *o.c.*, p. 371 ss.

<sup>4</sup> C. STUDYNSKYJ, PURML, t. V, p. XLVI; R. BELMONT, *Le Patriarche C. Lucaris et l'Union des Eglises*, in « Irénikon », 1938, vol. XV, n. 4 et ss.

<sup>5</sup> I. SUŠZA, *o.c.*, p. 15.

<sup>6</sup> IBIDEM, p. 16; GUÉPIN ALPH., *Un apôtre de l'Union des Eglises au XVII<sup>e</sup> siècle — Saint Josaphat*, Paris-Poitiers 1897, t. I, p. 18.

<sup>7</sup> SEBASTIANUS ST. SABOL, *De Meletio Smotryckyj polemista anticatholico*, (opus nondum ed.) Romae 1950, p. 21.

<sup>8</sup> I. SUŠZA, *o.c.*, 16; J. PELESZ, *Geschichte der Union der Ruthenischen Kirche mit Rom*, II, Vindobonae 1880, p. 388.

<sup>9</sup> I. SUŠZA, p. 16.

<sup>10</sup> IBIDEM; A. OSINSKYJ, *Meletij Smotryckyj, Polockij archiepiskop*, in « Trudy Kievskoj Duchovnoj Akademiji », Kioviae 1911, t. II, p. 444.

<sup>11</sup> M. HRUŠEVSKYJ, *o.c.*, VI, p. 594; A. OSINSKYJ, *o.c.*, III, p. 612.

<sup>12</sup> M. KOJALOVIČ, *o.c.*, I, p. 193.

<sup>13</sup> M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, p. 449.

<sup>14</sup> I. SUŠZA, 25; M. HARASIEWICZ, *o.c.*, p. 450.

<sup>15</sup> S. SABOL, *o.c.*, p. 36.

patriam anno 1627 reversus, consilium decisivum ad fidem catholicam transeundi coepit.<sup>16</sup> Professionem autem fidei in manus metropolitae uniti Josephi Velamyn Rutskyj emisit.<sup>17</sup> Catholicus factus, quinque adhuc opera contra dissidentes conscripsit, inter qua « *Apologia* », anno 1628 Dermani edita primas tenet.<sup>18</sup> Mortuus est in odore sanctitatis, die 27 septembris anni 1633.

His praemissis brevem conspectum operum eius nunc offerre fas est.

1. — Ut surpa diximus, opus Hipatii Potij « *Harmonia* » Meletium Smotryckij ad polemicam litterariam contra Unitos excitavit, quibus anno 1608 suo opere « Ἀντιγραφὴ »<sup>19</sup> responsum dedit. In « Ἀντιγραφὴ » Auctor duos articulos (I, IV) « *Haeresibus* » et quinque articulos (II, III, V, VI, VII) « *Harmoniae* » Hipatii Potij dedicat.

In primo articulo M. Smotryckij defendit Ecclesiam Orthodoxam contra « *reprehensiones* », quae a H. Potij in eam diriguntur. Revera H. Potij in suo opere « *Haereses* » accusabat Ecclesiam Orthodoxam de moribus corruptis sacerdotum, quas accusationes M. Smotryckij in campum transtulit Unitorum, argumenta retorquendo.

In articulo quarto respondet accusationibus « *de ignorantia* » et « *de erroribus haereticis* » (desideratur apud dissidentes Ucrainos forma ad sacrum Chrisma conficiendum, Latini, qui dissidentes fiunt, rebaptisantur etc.).

In capite secundo fusius de Spiritu Sancto tractat, probans Eum a solo Patre procedere. Ad hoc argumenta ex Sacris Scripturis atque

<sup>16</sup> IBIDEM, p. 37.

<sup>17</sup> Meletius Smotryckij per Constantinopolim, non per Romam, ubi catholicam fidem secundum aliquos professus fuerit, Kioviam rediit; OSINSKYJ, o.c., t. III, p. 280, adn. 2.

<sup>18</sup> BRÜCKNER, o.c., p. 620 ss; M. VOZNIK, o.c., p. 268-272.

<sup>19</sup> RIB, t. XIX, col. 1147-1300. Opus hoc in lucem venit incognito auctore. Auctores tamen, in historia litteraturae polemicae de Unione valde periti, omnes « *Antigraphe* » Meletio adscribunt. Cfr. C. STUDYNSKYJ, *Antigrafe, polemičnyj tvir Maksyma (Meletija) Smotryckoho z 1608 r.*, in « *Zap. NTŠ* », Leopoli 1925, t. CXLI-CXLIII, p. 1-40; M. HRUŠEVSKYJ, o.c., t. IV, p. 594-596; SKABALANOVIČ, o.c., p. 59-60; K. CHARLAMPOVIČ, o.c., p. 391; BRÜCKNER, o.c., p. 603; A. OSINSKYJ, o.c., III, p. 612; PALMIERI A., *Theologia Dogmatica Orthodoxa*, Florentiae 1911, t. I, p. 789; M. JUGIE, o.c., I, Parisiis 1926, p. 562; M. VOZNIK, o.c., 223-224; Hoc non obstante ultimis hisce diebus Bogusław Waczynski categorice negavit Meletium auctorem esse « *Antigraphe* » (W.B., *Czy Antigrafe jest dziełem Maxyma (Melecjusza) Smotryckiego?*, in « *Roczniki Teologiczno-Kanoniczne* », Towarzystwo Naukowe Katolickiego Uniwersytetu Lubelskiego, a. 1949, t. I, p. 183-210). Ad talem conclusionem Waczynski pervenit post accuratiorem analysim horum verborum ex quibus Studynskyj (o.c.) auctorem *Antigraphe* Meletium fuisse probavit. Argumenta Bogusłai Waczynski examinavit S. Sabol (o.c., 42-46), qui etsi multam difficultatem invenisse confitetur, sententiam tamen in favorem Meletii praefert, quae sententia (ceterum praevalens) admittenda nobis videtur.

Patrum scriptis decretisque a septem conciliis oecumenicis sumit. Ipse tamen ibi influxui Cyrilli Lucaris et Zizanii obnoxius est.

Caput tertium doctrinam de Christo Mediatore continet. Ibi Smotryckyj defendit doctrinam Zizanii, contra quem pugnavit H. Potij. Articulus hic postea in sua « *Apologia* » resumitur, ubi Smotryckyj totus est in operibus Zizanii confutandis.

In articulo quinto de azymis disceptat probatque Communionem sub una specie tantum haeresim esse.

In articulo sexto de animarum statu post corporis obitum agit ac de purgatorio.

In articulo septimo demum, assertionem Catholicorum de Ecclesia Orthodoxa a Turcis victa refutat et Ecclesiam Catholicam ab haeresibus victam fuisse probare conatur.

2. Permagni faciunt dissidentes opus Meletii Smotryckyj « *Threnos*,<sup>20</sup> seu *Lamentatio unicae, universalis, apostolicae, orientalis Ecclesiae, adjuncta explanatione dogmatum fidei; liber primus ex graeca in slavonicam et nunc ex slavonica in polonicam linguam translatus* », quod sub ementito nomine Theophili Orthologi, Vilnae anno 1610 editum est.<sup>21</sup> De authenticitate ejus nullum extat dubium, cum ipse Smotryckyj, post suam conversionem, se ipsum esse Theophilum testatus esset, qui « *Threnos* » composuerat.<sup>22</sup> Hoc opus magna eruditione atque stylo poetico-lyrico exaratum se praebet.<sup>23</sup> Causa illius conscriptionis recuperatio ex parte Unitorum monasterii SS. Trinitatis, Vilnae, e manibus dissidentium fuit,<sup>24</sup> Opus hoc, quod decem capitibus absolvitur, capitale opus evasit Meletii Smotryckyj.

In primo capite Auctor lamentationem Ecclesiae Orientalis « super suos filios degeneros » describit; in secundo admonitionem eiusdem Ecclesiae « filio suo » exhibet; in tertio, Auctor multa ex « Primatu Papae » Nili Cabasilae desumens, totus est in impugnando primatu Romani Pontificis, qui Antichristus appellatur; in quarto, statum Ecclesiae Romanae illius temporis describit et Ecclesiam Orientalem Cruci subiectam exaltat; in quinto, Spiritum Sanctum a Patre solo procedere probare conatur; in sexto, de azymis ac de pane fermentato tractat; in septimo de Purgatorio loquitur, dum in octavo Patriarchas graecos nunquam Romanis Pontificibus subjectos fuisse ostendere contendit; in nono, de SS. Eucharistia agit; in decimo denique

<sup>20</sup> Ante « *Threnos* », circa annum 1609, composuit quoque Smotryckyj opus contra Romanum Pontificem, quem pluries Antichristum vocat, auctores protestantes necnon Stephanum Zizanj sectans. Opus remansit manuscriptum et prima vice typis datum est a Cyrillo Studynskyj in PURML, t. V. p. 250-302; cfr. SABOL, *o.c.*, p. 49-53.

<sup>21</sup> J. PELESZ, II, p. 389-390.

<sup>22</sup> *Apologia Peregrinathey...* p. 62; cfr. S. SABOL, *o.c.*, p. 53.

<sup>23</sup> Cfr. M. VOZNIAK, *o.c.*, p. 228.

<sup>24</sup> Cfr. BRÜCKNER, *o.c.*, p. 609.

catechismum Ecclesiae Orientalis refert. De hoc suo opere ipse Smotryckij in « Apologia » sic loquitur: « invenies in fundamento ejus odium, in parietibus errorem, in tecto calumniam ».<sup>25</sup>

Huic operi, ex parte Catholicorum Polonorum, responsum dedit Petrus Skarga, qui anno 1610 Cracoviae, in lingua polonica, opus edidit cui titulus erat: « *In Lamentationem Theophili Orthologi ad Ruthenos Ritus Graeci monitum* », in quo, sententias Meletii refutans, ipsum haeticum atque Status proditorem appellat.<sup>26</sup> Ex parte autem Unitorum operis Meletii confutationem confecit Elias Morochowskyj<sup>27</sup> (« *Paregoria, seu Consolatio...* », Vilnae 1612).

3. Ex Russia in patriam rediens, patriarcha Theophanes Hierosolymitanus visitavit etiam Ucrainam, ubi Kioviae, petentibus dissidentibus, anno 1620 metropolitam et pro dioecibus, quae in manu Unitorum erant, episcopos consecravit. Ob oppositionem tamen regis Poloniae Sigismundi Waza, episcopi hi aequalitate juridica cum episcopis unitis non gaudebant et legitimus metropolita Kioviensis, Joseph Velamyn-Rutskyj eos in suo tribunali ecclesiastico condemnavit.<sup>28</sup> Quae facta et eventus originem novae polemicae dederunt. Meletius enim Smotryckij primus erat, qui, ad defendendam novam hierarchiam Unionemque oppugnandam, calamo decertare coepit.

Brevi tempore transacto, post creationem novae hierarchiae, Meletius opus « *Verificatio innocentiae* », Vilnae anno 1621 typis dedit.<sup>29</sup> Opus hoc septem partibus et epilogo constat. In parte prima, probat episcopos dissidentes veram jurisdictionem a patriarcha obtinuisse; in secunda vero, non episcopos dissidentes, sed Unitos apostatas esse ostendere vult; in tertia citat plura documenta, quibus jura dissidentium confirmantur; in quarta, obiicit Unitos nunc nec Graecae nec Latinae religionis, sed hermaphroditas esse; in quinta, varia tormenta dissidentium, Vilnae in carcerem coniatorum describit; in sexta, Deum in adiutorium invocat et exorat; in septima, ad perseverantiam in fide et ad fidelitatem erga regem exhortatur; in epilogo, demum, demonstrat quod « si ab oboedientia Ecclesiae Orientalis recederemus, nosmetipsos jurium et libertatum nostrarum violatores eo ipso efficeremus ».<sup>30</sup>

Huic operi Uniti duas responsiones in lingua polonica dederunt. Primam (« *Specimen verificationis erroneae et testimonium effrena-*

<sup>25</sup> *Apologia*, p. 61; cfr. SABOL, o.c., p. 58.

<sup>26</sup> Cfr. J. PELESZ, o.c., p. 389; TRETIAK J., *Piotr Skarga w dziejach i literaturze Unii Brzeskiej*, Cracoviae 1912, p. 321; BRÜCKNER, o.c., p. 616; M. VOZNIAK, o.c., p. 233.

<sup>27</sup> Cfr. J. SUSZA, o.c., 45. BRÜCKNER, o.c. p. 611.

<sup>28</sup> J. PELESZ, o.c., p. 146-150; A. M. AMMANN, o.c. p. 268.

<sup>29</sup> *Archiv Jugozapadnoj Rossiji*, pars I, t. VII, p. 279-344; cfr. J. PELESZ, o.c., p. 392; BRÜCKNER, o.c., 616.

<sup>30</sup> *Verificatia Niewinnosci*, in AJZR, pars I, vol. VII, p. 341.



tionis monachorum », <sup>31</sup> Vilnae 1621) Timotheus Summanovyč exaravit et secundam (« *Culpa multiplex* », Vilnae 1621) <sup>32</sup> anonimus quidam, quem Josephum Velamyn-Rutskyj fuisse dicunt.

Contra opus Unitorum « *Culpa multiplex* » M. Smotryckyj eodem anno respondit opusculo « *Defensio Verificationis* », <sup>33</sup> in quo repetit ea, quae jam in « *Verificatione* » dixerat.

Ex parte sua, Uniti « *Defensionis...* » eodem anno suum « *Examen Defensionis* » <sup>34</sup> opposuerunt, cujus auctor probabiliter J. V. Rutskyj fuit. <sup>35</sup>

Anno 1622 M. Smotryckyj contra « *Specimen verificationis...* » et contra « *Examen defensionis* », Vilnae opus vulgavit, cui titulus est « *Elenchus litterarum malignarum* ». <sup>36</sup> In hoc opere, insolita hucusque acredine, auctor Unitos aggressus est. Secundum M. Smotryckyj, Orthodoxos ad Ecclesiam Romanam non vera fides, sed novitates, ut comediae et organa similiaque attraxerunt. Primariam causam autem discordiae inter Ecclesiam Orientalem et Latinam auctor « *Elenchi* » in additione « *Filioque* » ad Symbolum Fidei videt. « *Elencho* » suo Smotryckyj « *Appendix ad Examen* » <sup>37</sup> adjungit, quod tamen opusculum distinctum pro se stat. In « *Appendice* » iterum iterumque cum auctore « *Examinis* » polemizat et justificationem institutionis novae hierarchiae repetit. <sup>38</sup>

Anno 1622 nova hierarchia dissidentium ad regem Sigismundum epistolam, sub titulo « *Justificatio innocentiae* » <sup>39</sup> misit, quae causas consecrationis eorum a Theophane justificat. Haec epistola a metropolita dissidenti Job Boreckyj subscripta est, sed auctor ejus certe

<sup>31</sup> *Proba weryfikacyej omylnej i dowód swawolenstwa czernców*, AJZR, pars I, t. VIII, p. 799 ss; cfr. BRÜCKNER, o.c., p. 616.

<sup>32</sup> *Sovita vina*, in AJZR, I, VII, p. 443-510; J. PELESZ, o.c., p. 392; BRÜCKNER, o.c., p. 617.

<sup>33</sup> *Obrona Verificacyej*, AJZR, pars I, t. VIII, p. 345-442; cfr. J. PELESZ, o.c., p. 392-393; BRÜCKNER, o.c., p. 617.

<sup>34</sup> *Examen Obrony*, in AJZR, pars I, t. VIII, p. 562-596; cfr. BRÜCKNER, o.c., p. 618.

<sup>35</sup> De Josepho Velamyn-Rutskyj, metropolita Kioviensi (1613-1637) videas: T. HALUŠČYNSKYJ, *Mytropolyt J. V. Rutskyj*, in « *Dobryj Pastyr* », Stanislavopoli, t. VII, (1937) pp. 253-272; ŽUKOVIČ, *žizneopisanije mitr. Josifa Veljamina Rutskago*, in « *Christijanskoje Čtenije* », 1909, p. 1809 ss; FURYKEVYČ, *Do pytanija pro nacijonalnist mytr. Rutškoho*, in « *Bohoslovia* », t. XV, Leopoli 1937, p. 264-76. A. MYCHALSKYJ, *J. V. Rutskyj in lumine obiectionum et factorum*, in « *Logos* », t. III, liber 1, Waterford (Canada) 1952, p. 10-19.

<sup>36</sup> *Elenchus pism uszczypliwych*, in AJZR, pars I, t. VIII, p. 597-673; cfr. BRÜCKNER, p. 619.

<sup>37</sup> *Appendix*, in AJZR; IBIDEM, p. 652-673.

<sup>38</sup> Contra « *Elenchus* » exaravit hegumenus monasterii SS. Trinitatis Anastasius Sielava opusculum « *Antelenchus* » (Vilnae 1622). Hoc opusculum reproductum est in AJZR, pars I, t. VIII, p. 674-731; cfr. BRÜCKNER, p. 620.

<sup>39</sup> AJZR, pars I, t. VII, p. 511-532.

Meletius Smotryckyj fuit, nam ipse hoc in suis posterioribus operibus testatur.<sup>40</sup>

« Justificatio Innocentiae » fuit ultimum opus Meletii periodo suae oppositionis ad Ecclesiam Catholicam, qua protestantismo favebat. Cum ea quoque finis polemicae de opera Patriarchae Theophanis ponitur et in ejus locum subintrat violentia.

## Art. II. — De Zacharia Kopystenskyj prout polemista anticatholico.

I. - VITA: De ortu, juventute et educatione Zachariae Kopystenskyj nullae positivae notitiae habentur. Ex indiciis tamen quibusdam conicere licet Zachariam Kopystenskyj non ante annum 1585 natum esse. Familia ejus ad nobilitatem Peremysliensem, ex qua originem habuit quoque notus adversarius Unionis episcopus Peremysliensis Michaël Kopystenskyj, pertinebat. Postquam primas notitias litterarias in domo paterna accepisset, videtur illum scholam Sodalitatis Leopoliensis frequentasse. In scholam hanc ad linguarum scilicet vetero-slavicae, graecae et latinae studium se contulit.<sup>41</sup> In sua « *Palinodia* » alludit etiam de sua commoratione per aliquod tempus in Moldavia, in monasterio Putna, ubi Barlaami Calabri librum « *De Primatu Romani Pontificis* » legit.<sup>42</sup> Primam autem certam notitiam de Zacharia habemus tantummodo anno 1616, quo ipse nomen suum in libello Confraternitatis Orthodoxae Kioviensis signavit.<sup>43</sup> Postea, tamquam monachus monasterii Kiovo-Pečerensis activitatem suam scientifico-litterariam explicavit.<sup>44</sup> Anno 1624, mortuo Eliseo Pletenckyj, archimandrita ejusdem monasterii, Zachariam in hoc officio successisse constat.<sup>45</sup> Zacharia Kopystenskyj, procul dubio, unus ex doctissimis theologis illius temporis inter Orthodoxos fuit. Suam scientiam suamque fidem ore ac scriptis inter dissidentes propagavit eo fine, ut orthodoxiam ex ruditate elevaret eique daret arma ad impugnandum protestantismum et Unionem.<sup>46</sup> Obiit anno 1627.

<sup>40</sup> *Apologia*, p. 105; *Paraenesis abo Napomnienie*, Cracoviae 1628, p. 22; cfr. J. SUSZA, *o.c.*, p. 20.

<sup>41</sup> A. IŠČAK, *De Zacharia Kopystenskyj ejusque « Palinodia »*, in « *Bohoslovia* », t. VIII, Leopoli 1930, p. 161-164.

<sup>42</sup> RIB, t. IV, p. 938.

<sup>43</sup> M. VOZNIK, *o.c.*, p. 237.

<sup>44</sup> A. IŠČAK, *o.c.*, p. 168-173.

<sup>45</sup> V. ZAVITNEVIČ, *o.c.*, 303; A. IŠČAK, *o.c.*, 173-4.

<sup>46</sup> RIB, IV, col. 657; cfr. A. IŠČAK, *o.c.*, 173.



II. - OPERA: Opera praecipua Z. Kopynstenskyj sunt: « *Liber de fide Azariae* » et « *Palinodia* ». Praeter haec scripsit « *De vera Unione* », 2 orationes funerales super Eliseum Pleteneckyj, necnon confecit plures versiones ex lingua graeca et auctor prologorum ad plures editiones librorum extitit.<sup>47</sup>

A. « LIBER DE FIDE AZARIAE ». — Antequam de hoc libro aliqua verba proferamus, saltem brevissime quaestionem de « *Libris de fide* » tractare perutile ducimus. Sub titulo « *Liber de fide* » nota sunt in bibliographia haec opera 1) « *Liber de fide* » Basilii Suražskij; 2) « *Liber de fide* » Vilnensis (constans duobus tractatibus: De imaginibus et de SS. Trinitate); 3) « *Liber de fide Nathanaelis* » (principale obiectum nostrae dissertationis); 4) « *Liber de fide* » (quod opus etiam « *Liber Cyrilli* » dicitur); 5) demum « *Liber de fide Azariae* ». De primo « *Libro* » jam locuti sumus; de « *Libro Nathanaelis* » adhuc nobis agendum est in secunda parte nostrae dissertationis, sed iam nunc affirmare possumus, quod sicuti « *Liber Cyrilli* » dependet magna ex parte ab aliis libris et praesertim a « *Libro de fide Azariae* ».<sup>48</sup>

Secundum Zavitnevič,<sup>49</sup> qui in rebus ad Zachariam Kopystenskyj pertinentibus maxima gaudet peritia, Zacharias Kopystenskyj totum librum ipse solus composuit. Eandem opinionem nostris diebus tenet Vozniak.<sup>50</sup> Non est tamen negandum: « *Liber de fide Azariae* » (Azaria nomen eminentium Zachariae) multa similia cum « *Libro de fide* » Vilnensi habet. Inde, saltem cum quadam probabilitate admitendum esse videtur, auctorem istorum opusculorum eundem ipsum Zachariam fuisse, qui post primam quamdam idearum suarum adumbrationem et elaborationem illos in suum « *Librum de fide Azariae* » inseruit.<sup>51</sup>

Opus hoc praeprimis contra doctrinas protestantium dirigitur. Constat sat prolixis dissertationibus de SS. Trinitate, de Spiritus Sancti processione, de SS. Eucharistia, de Communionem, de Purgatorio, de invocatione Sanctorum, de oratione et elemosynis pro defunctis, de jejuniis atque de aliis quaestionibus. De hoc libro postea quaedam dicenda veniunt.

<sup>47</sup> Cfr. M. VOZNIK, o.c., p. 247-249.

<sup>48</sup> Cfr. P. GILTENBRANDT, RIB, t. IV, *Primiečanija*, p. 22-24.

<sup>49</sup> V. ZAVITNEVIČ, o.c., p. 280-283.

<sup>50</sup> M. VOZNIK, o.c., p. 238.

<sup>51</sup> Quaestio tamen de relatione inter illos libros, ut nobis videtur, adhuc modo definitivo soluta non est. De qua videas: S. GOLUBIEV, *Bibliografičeskija zamiečanija o niekatorich staropiečatannich knigach*, in TKDA, 1876, t. I, p. 363-376; P. GILTENBRANDT, o.c., p. 22-24; articulus, sine nomine auctoris: *Zamietka ob odnoj staropiečatnoj knige*, in ČOMU, t. I, Mosquae 1880, p. 1-10; V. ZAVITNEVIČ, o.c., p. 276-283; M. VOZNIK, o.c., p. 237-238.

B. « PALINODIA. » — Priusquam de ipsa « Palinodia » quidquam dicamus, pauca saltem verba praemittenda sunt de eventibus, qui eam antecesserunt et ejus conscriptionis causa extiterunt.

Tempore magnae concertationis de Unione, non defuerunt ex utraque parte homines, qui concordiae « Rusj cum Rusj » studuerunt, etsi Unio aliter et aliter concipiebatur. Anno 1617, ductu metropolitae Josephi Velamyn Rutskyj propositus fuit prima vice ab Unitis congressus communis pro utraque parte, ut conciliationem deliberaret.<sup>52</sup> Tempore congressus Leo Kreusa, archimandrita Vilmensis,<sup>53</sup> praelectionem habuit de Primatu Romani Pontificis, argumenta pandens ex ipsis libris liturgicis slavificis. Pars contraria tamen non apparuit.<sup>54</sup> Collatio tamen Leonis Kreusae, jussu metropolitae, propter illos « qui tunc temporis non erant praesentes, et propter illos, qui utpote praesentes ob nimium concursum vero hominum bene audire non potuerunt », <sup>55</sup> eodem anno typis data et vulgata est sub nomine « *Defensio Unionis Ecclesiarum* ». <sup>56</sup>

Tamquam responsum ad argumenta, quae Leo Kreusa in sua « *Defensione...* » pro Primatu et Unitate Ecclesiarum proposuerat, conscripta est a nostro Zacharia, anno 1621-22, celeberrima « *Palinodia seu liber defensionis catholicae sanctae apostolicae orientalis Ecclesiae et sanctorum patriarcharum et de Ruthenis et Graecis Christianis* ». <sup>57</sup>

Quamquam ipsa erat scripta a Zacharia ad instantiam « venerandarum personarum ex clero et laicis », nihilominus, propter causas, quae adhuc elucidatae non sunt, typis vulgata non fuit.<sup>58</sup> Quo non obstante, opus illud in multiplicibus apographis per totam Ucrainam et Russiam divulgabatur.<sup>59</sup>

Motiva, quae induxerunt Zachariam ad hoc opus exarandum, ipse auctor in fine prologi recenset, nempe: 1. ratio salutis animarum

<sup>52</sup> Cfr. A. IŠČAK, *o.c.*, p. 179-180.

<sup>53</sup> Ab anno 1625-1639 archiepiscopus Smolenscensis; J. PELESZ, *o.c.*, p. 1085. « Ipse nonnullos libros ecclesiasticos ordinavit et doctrinam catholicam de rebus necessariis Sacerdotibus illustravit. Catechismum Fidei Catholicae condidit, contra Schismaticos egit et in negotiis S. Unionis itinera longissima et laboriosa etiam in extrema senectute confecit » (cfr. *Chronica alumnorum Collegii Graecorum in Urbe*, f. 43-38, n. 193).

<sup>54</sup> A. IŠČAK, *o.c.*, p. 180.

<sup>55</sup> RIB, IV, p. 159.

<sup>56</sup> *Obrona jedności cerkiewnej*, in RIB, IV, p. 157-308.

<sup>57</sup> Typis edita est anno 1878, in RIB, t. IV, col. 313-1200. Opera praecipua: V. ZAVITNEVIČ V., *Palinodia Z. Kopystenskago i jeja miesto v istoriji z.-russkoj polemiki XVI i XVII vv.*, Varsaviae 1883; A. IŠČAK, *De Zacharia Kopystenskyj ejusque « Palinodia »* in « Bohoslovnia », VIII, (Leopoli 1930); fasc. 3-4; IX, (1931), fasc. 1-2, 4; X (1932) fasc. 1-2.

<sup>58</sup> A. IŠČAK, *o.c.*, t. VIII, p. 185.

<sup>59</sup> *IBIDEM*, p. 185-192.

utriusque partis; 2. exigentia propriae conscientiae; 3. ratio veritatis (ne quis dicat dissidentes ex obstinatione in sua fide manere); 4. desiderium dissidentium, qui eum ad opus conscribendum urgebant.<sup>60</sup>

Dispositio materiae « *Palinodiae* » omnino dispositioni « *Defensionis Unionis...* » Leonis Kreuza contraponitur.

Kreuza agebat de Primatu Petri, de Primatu successorum Petri, scilicet Romanorum Pontificum, de Baptismate Rus'-Ucrainae, et denique de Unione Berestensi nuper facta.<sup>61</sup> Huic dispositioni contraponit Zacharias Kopystenskyj suas theses, nempe: 1. non datur primatus Petri, quia omnes Apostoli quoad potestatem aequales sunt; 2. omnes patriarchae et non solus et unus episcopus Romae, successores Petri sunt; 3. Rus'-Ucraina baptismum Constantinopoli accepit et non Roma; 4. Papa et Latini, non vero Orientales schismatici sunt et Unio episcoporum ucrainorum alboruthenorumque nihil aliud nisi apostasis a fide considerata est.<sup>62</sup>

Ratione tamen prolixitatis « *Palinodia* » Zachariae « *Defensionem* » Leonis Kreuza sexies superat,<sup>63</sup> quia Zacharia non modo argumenta L. Kreusae refellere, sed etiam obiectiones contra patriarchas Orientales, quae in diversis libris polemicis reperiebantur, redarguere voluit.<sup>64</sup>

Ea, quae hucusque de « *Palinodia* »<sup>65</sup> diximus, solummodo quaedam notitiae generales et praecipuae sunt, quas in parte altera pertractabimus.

Haec de praecipuis operibus dissidentium de Unione adnexisque ei quaestionibus, quae opera, tamquam fontes directi vel indirecti « *Libri de fide* » extiterunt. Quibus praemissis jam ad tractationem specialem de eotem libro accedimus.

<sup>60</sup> RIB, IV, col. 318-9.

<sup>61</sup> RIB, IV, col. 163, 171, 223, 265.

<sup>62</sup> RIB, IV, col. 336, 483, 965, 1101.

<sup>63</sup> Cfr. A. IŠČAK, *o.c.*, p. 194.

<sup>64</sup> RIB, IV, 317-8.

<sup>65</sup> Post conscriptionem « *Palinodiae* » exaravit Kopystenskyj anno (circiter) 1623 opus, cui titulus est « *De vera Unione* », de quo iam supra mentionem fecimus. Nostris diebus remansit adhuc in manuscripto (exemplar originale invenitur in bibliotheca Uvarov). Summariam analysim ejusdem operis invenies apud V. ZAVITNEVIČ, *o.c.*, p. 288-301.

PARS SECUNDA

«DE LIBRO DE FIDE NATHANAELIS»

INTRODUCTIO: «LIBER DE FIDE NATHANAELIS». — CAPUT I: NOTITIAE BIBLIOGRAPHICAE. — CAPUT II: TRACTATUS HISTORICI. — CAPUT III: ANALYSIS TRACTATUUM INDOLIS ECCLESIOLOGICAE. — CAPUT IV: CONSPECTUS IN CETEROS TRACTATUS.



## INTRODUCTIO

### DISQUISITIO « DE LIBRO DE FIDE NATHANAELIS »

« *Liber de fide Nathanaelis* », de quo pluries mentionem fecimus, cujus hegumenus Nathanaël dicitur auctor, etsi secunda periodo polemicae de Unione exaratus, relate tamen ad quaestiones, quas tractat, cum operibus polemicis primae periodi conjungitur; immo, quasi summam doctrinae dogmaticae Orthodoxorum duorum primorum decenniorum saeculi XVII continet.

Inde utile pro historia polemicae esse videtur analysim una cum inquisitione de fontibus ejusdem « Libri » instituere.<sup>1</sup>

Ante omnia notandum venit iam hoc loco, opera auctorum, de quibus supra, magnum influxum in illum « Librum » habuisse; immo, ad opera Zachariae Kopystenskyj quod attinet, notamus extensas partes horum in « Libro » transcriptas esse.<sup>2</sup>

Hac de causa praesenti disquisitioni praeposuimus brevem adumbrationem conspectus in historiam indolemque generalem polemicae primae periodi, ubi conati sumus, quantum potuimus, de operibus polemicis anticatholicis hujus periodi, causas determinantes necnon dependentiam mutuam auctorum prae oculis ponentes, tractationem plus minusve ordinatam exhibere. Quare inquisitionem de fontibus ejusdem « Libri » clariorem reddidisse opinamur.

In praesenti parte, de « *Libro de fide* » dicturi, materiam in quatuor capita dividimus, quorum primum notitias bio-bibliographicas, de auctore scilicet ejusque opere exhibet et cetera analysi ejusdem libri una cum inquisitione de fontibus dicata sunt.

---

<sup>1</sup> Ut notum est nobis, de « *Libro de fide* » studia specialia habent tres auctores: DOKUČAJEV N., *O tak nazyvajemoj knige « O vierie jedinoj »*, in « Černigovskija Eparchijalnija Izvjestija », 1867, appendix, n. 17-18; DEMENTJEV H., *Kritičeskij razbor tak nazyvajemoj knigi « O Vierie » sravnitelno s učenijem glagolemych staroobrjadcev*, Petropoli 1883; KALUŽNJACKIJ E., *Igumena Nafanajila « Kniga o vierie »*, in ČOMU, 1886, t. IV, p. 1-10. Studia DOKUČAJEV et DEMENTJEV nobis evolvere datum non est; articulum autem E. KALUŽNJACKIJ infra citabimus.

<sup>2</sup> Diversae partes operum Zachariae Kopystenskyj insertae sunt quoque in « *Kyrylova Kniga* » et in « *Litovskij Prosvitytel* »; cfr. M. VOZNIJAK, o.c., p. 239. Ad « *Librum de fide* » quod attinet, ipse Pseudo-Nathanael asserit se 10 capita a Zacharia exscripsisse, tamen non dicit quaenam sint illa capita (L. de f., fol. 5).



CAPUT I  
NOTITIAE BIO-BIBLIOGRAPHICAE

ART. 1: QUAESTIO DE AUCTORE. — ART. 2: RECENSIONES TEXTUS ET  
HISTORIA PRIMAE EDITIONIS. — ART. 3. RATIONES ET DISPOSITIO  
MATERIAE.





## CAPUT I

### NOTITIAE BIO-BIBLIOGRAPHICAE

#### Art. I. — Quaestio de Auctore.

Ad personam Auctoris « Libri de fide » determinandam perpaucae vel fere nullae notitiae positivae habentur. In suo opere ipse solummodo duo testimonia nimis obscura de semetipso exhibet. Primum in prima praefatione ad « Librum » habetur: « nec in rethorica, nec in philosophia peritus sum, sed in unicum Deum spem meam deprensens, librum hunc conscripsi, ut pro peccatis meis, quia in juventute mea in scholis Jesuitarum non sum depravatus, hoc parvo opere satisfacerem... »;<sup>3</sup> et mentionem in eadem praefatione de fontibus operis faciens, inter alia haec verba habet: « cetera a sanctae memoriae Zachariae Kopystenskyj... circiter 10 capita exscripsi... ». Ex quo constat, ipsum post obitum Zachariae Kopystenskyj († 1627) scripsisse.<sup>4</sup> Secundum testimonium in capite nono « *Libri de fide* » habetur, ubi Auctor dicit se prope Ecclesiam Exaltationis Sanctae Crucis habitasse.<sup>5</sup>

Primus autem, qui notitiam magis determinatam, ut primo visu apparet, de Auctore nostro in medium protulit, diaconus Theodorus Ivanov fuit.<sup>6</sup> Etenim ipse in epistola ad quemdam Maximum scribit: « et Librum de vera fide quidam hegumenus monasterii Mychajlovskyj, pius Nathanael, contra apostasiam Unitorum exaravit... ».<sup>7</sup> Auctores posteriores, usque ad nostros dies, ad verba Theodori sese referentes, « *Librum de fide* » Nathanaëli hegumeno monasterii Kioviensis S. Michaelis adscribunt.<sup>8</sup>

---

<sup>3</sup> L.F., f. 2v. Undolskyj animadvertit tamen, quod in manuscripto « *Libri de fide* », quod invenitur in Museo Mosquiensi est scriptum : « *sum depravatus* » (prelščen bych), quod, ut patet, melius cum contextu quadrat; UNDOLSKIJ, *Siviano-russkija rukopisy*, Mosquae 1870, col. 309.

<sup>4</sup> L.F., f. 5.

<sup>5</sup> IBIDEM, f. 75v.

<sup>6</sup> Theodorus Ivanov unus ex praecipuis doctoribus Starovierorum fuit. De illo videas articulum: *Dijakon Theodor, jego sočinienija i učenije*, in « *Pravoslavnyj Sobiesiednik* », II, Kazan 1859, p. 314-346, 447-470.

<sup>7</sup> N. I. SUBBOTIN, *Materjaly dla istoriji raskola*, VI, Mosquae 1875, p. 143.

<sup>8</sup> SACHAROV I., *Obozrienije sloviano-russkoj bibliografii* I, lib. II, Petropoli

Quid de hujus sententiae veracitate dicendum? Quia in solo testimonio diaconi Theodori fundatur,<sup>9</sup> illam saltem valde dubiam esse putamus et eo vel magis quod nostra sententia duobus testimoniis, et quidem haud levis momenti, comprobatur.

I. Postquam elenchum hegumenorum monasteriorum Kioviensium primae medietatis saeculi XVII (« Liber de fide » scriptum est anno 1644) perspeximus, compertum habemus hoc tempore nec in monasterio S. Michaelis, nec in alio aliquo monasterio Kioviensi hegumenum nomine « Nathanaelem » fuisse.<sup>10</sup>

II. Secundum vero argumentum ad opinionem nostram comprobendam ex primo in Oriente slavico indice bibliographico « *Tituli librorum et quis eos composuit* » (Ohlavljenije Knih, kto jich složil)<sup>11</sup> sumimus. Auctor hujusmodi indicis, quem Epiphanium Slavyneckyj fuisse hodie compertum est,<sup>12</sup> sub numero 33 ejusdem indicis de auctore « *Libri de fide* » haec verba habet: « ejus conscriptor non revelavit nomen suum dicitque tantum se apud Ecclesiam Exaltationis S. Crucis vixisse ».<sup>13</sup> Haec verba procul dubio auctorem « *Libri de fide* » quoque Epiphanio ignotum fuisse ostendunt. Etenim aliter non explicaretur factum, cur in Indice, qui, « ex professo » dixerim, praecipuas notitias de auctoribus operum dare sibi proposuit, nomen et praecipuae saltem notitiae de auctore « *Libri de fide* » non indicarentur.

Ita cum essent res, ob deficientiam fontium in favorem sententiae traditionalis, opinamur, auctorem « *Libri de fide* », anno 1644 exarati, Anonymum quemdam Kioviensem fuisse. Ideo decursu nostrae tractationis nomine « Pseudo-Nathanaelis » illum vocabimus.

1849, p. 163; P. HILTENBRANDT, in RIB, *Primiečanija*, p. 22-24; PYPIN A., *Istoria rusckoj literatury*, t. II, Petropoli 1911, p. 259; E. KALUŽNIACKIJ, o.c., S. VENGEREV, *Kritiko-biografičeskij slovar rusckich pisatielej*, t. II, Petropoli 1918, p. 152; M. VOZNIAK, o.c., p. 239.

<sup>9</sup> Consuetudo diaconi Theodori est de pluribus rebus testimonium exhibere. Tamen « major pars testimoniorum in ejus operibus erronea sunt »; « Pravoslavnyj Sobiesiednik », o.c., p. 468-469.

<sup>10</sup> P. STROJEV, *Spiski ierarchov i nastojatelej monastyrej rossijskija Cerkvi*, Petropoli 1877, p. 11-26.

<sup>11</sup> Iterum editum est in ČOMU, 1846, t. I.

<sup>12</sup> Usque ad finem saeculi elapsi opinio apud auctores fuit, compositorem istius indicis Sylvestrum Medviediev (1641-1691) fuisse. Anno tamen 1903 academicus A. I. SOBOLVSKYJ (*Perevodnaja literatura Moskovskoj Rusy XIV-XVII vekov*, in « Sbornik Otdielenija russkavo jazyka i sloviennosti imperatorskoj Akademiji Nauk », 1903, Petropoli, p. 437s) negavit talem sententiam et supra memoratum indicem ab Epiphanio Slavyneckyj († 1675) concinnatum fuisse affirmavit. Sententiam Sobolevskyj tenet quoque notus historicus litteraturae M. VOZNIAK, o.c., p. 335-336. Tempore quo « Liber... » compositus est Epiphanius Kioviae habitabat. Proinde ejus testimonium de eodem libro alicujus momenti est.

<sup>13</sup> *Ohlavljenije Knih*, ČOMU, l.c., p. 11, n. 33.

## Art. II. — Recensiones textus et historia primae editionis

I. Quamquam « *Liber de fide* » pro Ucrainis anno 1644<sup>14</sup> conscriptus erat, nihilominus, ob causas nobis ignotas, in Ucraina typis mandatus non est. Ideoque opus in apographis divulgabatur. Autographum hodie ignotum est. Apographa seu recensiones textus ejusdem operis nota sunt hodie tria: primum apographum in Museo publico Mosquiensi invenitur;<sup>15</sup> secundum in Bibliotheca A. Chludov;<sup>16</sup> tertium in Bibliotheca Universitatis Leopoliensis.<sup>17</sup> Teste F. Dobrianskyj, 21 et 23 caput ejusdem libri invenitur quoque in Collectione N-108 Publicae Bibliothecae Vilnensis.<sup>18</sup>

II. Prima editio « *Libri de fide* » anno 1648 habetur, et quidem non in Ucraina, ut supra notavimus, sed in Russia Moscovitica. De eventibus, qui tamquam occasio ad hoc opus prima vice typis edendum et in Russia Moscovitica modo insolito divulgandum extiterunt, aliqua saltem dicenda sunt verba.

In primis notandum est, concertationes polemicas in Ucraina et Alboruthenia, de quibus supra locuti sumus. Russos vix participasse. Ipsi enim non calamo, sed gladio in Polonis debellandis toti erant, nec scientia sufficienti pollebant, ut in hujusmodi proeliis litterariis suas partes haberent.<sup>19</sup>

Prima medietate saeculi XVII (et praesertim ultimo decennio) aversio erga Occidentem ex una parte, et erga Ecclesiam Constantinopolitanam, quae a Concilio Florentino et magis adhuc postquam Urbs

<sup>14</sup> IBIDEM, p. 12; A. I. POPOV, *Opisanije rukopisej i katalog staropiečatnych knig. Bibl. A. M. Chludova*, Mosquae 1872, p. 227.

<sup>15</sup> V. M. UNDOLSKYJ, *o.c.*, col. 309-314.

<sup>16</sup> A. I. POPOV, *o.c.*, n. 90. Ipse comparisonem inter apographum et editionem Mosquiensem (1648) perfecit (p. 228-233).

<sup>17</sup> De hac recensione textus « *Libri de fide* », quae habet n. 1, D, 21, exorta est suo tempore aliqua incertitudo. Circa annum 1875 E. Kalužniackij, inspiciens hanc recensionem, putavit illam « veram descriptionem Unionis alterius Anonimi esse (ut primus, anonymus auctor « *Admonitionis* », de quo supra, fuisse opinabatur); O SUŠKO, *Pryčynky do studij nad tekstom Palinodiji*, Leopoli 1903, p. 13, n. 1. Idem auctor (Suško) recensionem illam compilationem ex operibus Zachariae Kopystenskyj et Meletii Smotryckyj ignoti auctoris esse credebatur; IBIDEM, p. 13; Postquam descriptionem apographi a Suško exhibitam (IBIDEM, p. 14) perspexi, persuasum mihi est agi de « *Libro de fide* », etsi incompleto, ut ex enumeratione capituum constat. Haec persuasio etiam apud Kalužniackij, tempore posteriore quidem, supponitur, quia ipse in articulo supra citato notat, unum apographum « *Libri de fide* », in Biblioth. Universitatis Leopoliensis inveniri.

<sup>18</sup> F. DOBRJANSKIJ, *Opisanije rukopisej Vilenskoj Publ. Bibl.-cerkovnoslovjanskich i russkich*, Vilnae 1882 p. 242.

<sup>19</sup> Cfr. M. JUGIE, *o.c.*, I, p. 569. De statu culturae et praesertim de famosa « correctione librorum », quae tunc temporis Mosquae habebatur videas: G. FLOROVSKIJ, *Puti russkavo Bogoslovija*, Parisiis 1937, p. 57 ss.

Constantinopolitana in manus infidelium incidit (controversia de « Alleluja », videas JUGIE, *o. c.*, I, p. 554/5), a vera Orthodoxia defecisse a multis Russis putabatur, ex altera parte, praesertim in coetibus ecclesiasticis superioribus magis magisque in dies crevit. Ad annum autem 1640 circiter non solum methodus doctrinae theologicae occidentales, quae in Ucraina jam diu admissae fuerunt, sed etiam modus cogitandi de Graecis tamquam Orthodoxiae magistris apud nonnullos seriam considerationem acquisivit.<sup>20</sup> Quidam Russorum, qui ad factionem Graecophilorum pertinebant, ad persuasionem perveniunt, Ecclesiam Graecam institutiones Christi Apostolorumque et traditiones Patrum decretaque septem Conciliorum Oecumenicorum integre servasse. Capita autem hujusmodi factionis erant: Stephanus Bonifatiev, tsari confessor et protopop (archipresbyter) ecclesiae Annuntiationis; Theodorus Michajlovič Rtiščev, dilectus bojarin tsari Alexii (1645-1676) et Nicon, Novospasskij archimandrita, postea Novhorodensis metropolita et Mosquensis patriarcha. Anno vero 1649 protopop Johannes Neronov ad eorum societatem se applicavit.<sup>21</sup> Procul dubio, inter eos Stephanus Bonifatiev primas tenuit. Ille enim fuit in rebus gerendis acris et de Orthodoxia propriae religionis quam maxime sollicitus, quem et tsarus magni faciebat. Initio et ipse partes sequebatur J. Neronov et protopopi Avvakum, quousque ut adversarii Niconis in ejus opere reformatorio sese non sunt professi.<sup>22</sup>

Factio graecophila Stephani Bonifatiev libros Ucrainorum Alboruthenorumque, ubi patriarchae Constantinopolitani tamquam suprema auctoritas Orthodoxiae commendabatur, benigne excipiens, assidue legebat.<sup>23</sup> Ut sententias has inter ceteros Russos disseminarent, duos libros tempore patriarchae Josephi (1642-1652) graecophili ediderunt. Unus, qui inscribitur « *Kyrillova Kniha* », <sup>24</sup> anno 1644 Mosquae lucem vidit. Ex epilogo istius libri patet, quod ipse tsar Michaël Fiodorovič (1613-1645) illum « secundum Sacram Scripturam contra haereticos et rascolnicos nostrae christianae fidei Ortho-

<sup>20</sup> Cfr. A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa Russa*, p. 227.

<sup>21</sup> Cfr. M. JUGIE, *o. c.*, p. 569; SUBBOTIN, *o. c.*, I, p. 27 ss; I. OBOLENSKIJ, *Moskovskoje gosudarstvo pri tsarie Alexsise Michajloviče i patriarchie Nikonie*, Kioviae 1876, p. 119; I. I. KOZLOVSKIJ, *F. M. Rtiščev*, Kioviae 1906; N. F. KAPTEREV, *Patriarch Nikon i jevo protivniki v diele ispravlenia cerkovnych obriadov vo vremija patriaršestva Josifa*, 2-da ed. Sergiev Posad, 1913; A. AMMANN, *o. c.*, p. 226.

<sup>22</sup> TSVETAEV D., *Protestantstvo i protestanty v Rossiji*, Mosquae 1890, p. 670. De Avvakum videas opus P. PASCAL, *Avvakum et les débuts du Raskol*, Parisiis 1938.

<sup>23</sup> Cfr. M. JUGIE, *o. c.*, p. 569.

<sup>24</sup> Integrum opus de hoc libro scripsit A. LYLOV, *O tak nazyvajemoj Kyrillovoj Knigie*, Kazan 1858.

doxae, contra Romanos et Latinos, contra Lutheranos et Calvinos conscribere jussit». <sup>25</sup> Composuit illum autem protopop ecclesiae S. Michaëlis Archangeli (Mosquae) — Michael Rogov. Opus «Kyrillova Kniha» nonnisi collectaneum est locorum selectorum, ex scriptis Ucrainorum Alboruthenorumque desumptorum. Primum locum in hoc libro «*Demonstratio S. Cyrilli de Antichristo*» (opus Zizanii, cfr. supra) occupat, ex qua etiam nomen «*Liber Cyrilli*» (Kyrillova Kniha) sumpsit.

Praeter singula argumenta, fere tertia pars operis Basilii Sura-skyj (cfr. supra) sine ulla mutatione in hunc librum transcripta est. <sup>26</sup>

Ex aliis operibus, quibus Rogov usus est, notamus etiam «*Liber de fide Azariae*» Zachariae Kopystenskyj (cfr. supra.)

Alterum vero opus, similem persequens scopum et ex expresso desiderio Stephani Bonifatiev editum, «*Liber de fide*» nostri Pseudo Nathanaëlis erat. <sup>27</sup> Antequam tamen hic liber typis mandatus fuit, ejus versio palaeoslavica ex lingua ucrainica praesentata fuit. <sup>28</sup> Labor exscribendi librum typis, die prima Martii 1648 ceptus, die octava Mai ejusdem anni ad finem perductus fuit. <sup>29</sup>

De momento huius operis apud Russos testimonium perhibet ipsa venditio eius apud typographiam Mosquiensem. A die 22 Junii usque ad initium mensis Augusti vendita sunt 850 exemplaria, id est 2/3 partes totius editionis. <sup>30</sup> Ratio autem principalis, cur «*Liber de fide*» tam magnum favorem populi Russiae obtinuit, ejus conformitas cum aliquibus «dogmatibus» Starovierorum <sup>31</sup> ex una parte, atque exaltatio Ecclesiae Graecae ejusque patriarcharum, quam ipse continet, <sup>32</sup> ex altera parte, fuerunt. Hoc ultimum procul dubio factio graecophila, librum typis edens, ante omnia prae oculis habuit.

Ita «*Liber de fide*» Pseudo-Nathanaëlis, qui in terris Ucrainae praesertim fugam Orthodoxorum ad Ecclesiam Unitam reprimere et

<sup>25</sup> *Kyrillova Kniga*, f. 558v-559.

<sup>26</sup> Ea quae inveniuntur in *Kyrillova Kniha* a p. 278-356, transcripta sunt ex libro Basilii (RIB, V), col. 800-915.

<sup>27</sup> N. SUBBOTIN, *o.c.*, IV, p. 143.

<sup>28</sup> Versio et «correctio» (quae tamen mendum scripturae introduxit) per duos menses (Jan.-Febr.) duravit. Traductor ignotus est. Corrector probabiliter Johannes Nasiedka erat; V. UNDOLSKIJ, *o.c.*, col. 309; D. TSVETAEV, *o.c.*, t. II, Petropoli 1907, p. 670; PYPIN A. H., *Istorija russkoj literatury*, II.

<sup>29</sup> *L.F.*, f. 288v.

<sup>30</sup> BIELOKUROV S., *Arsenij Suchanov*, in ČOMU, I, 1891, p. 177; A. PYPIN, *o.c.*, p. 270.

<sup>31</sup> De dogmatis Starovierorum videas M. JUGIE, *o.c.*, p. 571-572. In «*Libro de fide*» textus in favorem Starovierorum inveniuntur praesertim in ff. 41, 43, 74. Totum autem caput 30 (de Antichristo) ab ipsis recipitur.

<sup>32</sup> Orthodoxia Graecorum quasi in omnibus capitibus indolis historicae et dogmaticae ecclesiologicae miris laudibus celebratur, particulari modo tamen in capp. 2, 3, 4, 5, 19, 26, 28.

in Ecclesia Orthodoxa eos retinere scopum principale habebat, in Russia Moscovitica, tum pro Starovieris, tum pro Graecophilis, quorum contentiones ad schisma intestinum, quod Russi « Raskol » appellabant, perduxit, tamquam medium ad proprias opiniones defendendas extitit.

Notandum est in fine, Starovieros hunc librum quasi divinitus inspiratum aestimasse. Ideo alteram quoque editionem ejusdem libri anno 1785, in Grodno, curaverunt.<sup>33</sup>

### Art. III. — Rationes et dispositio materiae « Libri de fide ».

I. Rationes, quae Pseudo-Nathanaëlem ad conscribendum « *Librum de fide* » induxerunt, ipse in prima praefatione necnon in versibus<sup>34</sup> primam inter et secundam praefationem collocatis, significat: Regnum Antichristi extenditur et mox ipse Antichristus apparebit, animadvertit auctor. Multos Orthodoxos opprimit quidam linguae slavicae pudor, quam ob rationem illi ad linguam latinam oculos suos convertunt. « Complures hodie proprium panem thesauraque spiritualia... librorum slavivorum relinquunt et ad panem alienum cum veneno mixtum manus porrigent ». Extra omne dubium est, Auctorem in regno Antichristi Ecclesiam Catholicam aspexisse atque « panis cum veneno mixtus » doctrina ejusdem Ecclesiae esse videtur. Qui ad dictum panem « manus porrigent » praesertim illi sunt, qui ad Ecclesiam Catholicam ejusque doctrinam sese appropinquant. Hac de causa nempe, quod multi Ecclesiam Orthodoxam relinquunt, Pseudo-Nathanaël « sine odio et aestu polemico... » proposuit sibi argumentis ex Sacra Scriptura et ex Patribus desumptis demonstrare, quod « veritas Ecclesiae Orientalis sicut sol elucet praeclaribusque operibus resplendet; dum veritas Ecclesiae Occidentalis sicut tenebrae noctis est (recognoscitur enim arbor ex fructibus suis) ». Hoc modo, sicut polemistaе anteriores, Ps. - Nathanaël Unionem tamquam apostasiam a vera fide et prodigium Antichristi carpere intendit.

II. Ad dispositionem materiae huius « Libri de fide » quod attinet, imprimis necessarium est ut integrum operis titulum tradamus, qui ita sonat: « *Liber de unica vera fide orthodoxa et de sancta Ecclesia Orientali, deque principalioribus articulis orthodoxis secundum Sacram Scripturam breviter concinnatus* ».<sup>35</sup>

<sup>33</sup> UNDOLSKIJ V. M., *Očerki slaviano-russkoj bibliografii*, Mosquae 181, p. 262.

<sup>34</sup> *L.F.*, f. 2v-5v, 7v.

<sup>35</sup> « *Knyha o viri jedynoj, istynnoj, pravoslavnoj i sviatoj Cerkvi vostočnoj i o izrjadniejšych pravoviernych složenijach t božestvennoho pysanija v kratci izbrana* ».

Titulus autem manuscripti fuit: « *Knyžca ili spisanije o viri pravoslavnoj,*

Post titulum vero statim habentur: prima praefatio, index totius libri una cum « versibus ad lectorem » et altera praefatio.<sup>36</sup> Corpus autem libri ita in diversa capita divisum est:

1. Unde vera fides veraque praecepta originem ducunt (f. 10-15).
2. De unica sancta Ecclesia Orientali (f. 16-29v).
3. De fide et Baptismate Rus' (f. 30-38).
4. De processione Spiritus Sancti (f. 39-44v).
5. De SS. Eucharistia (f. 45-50).
6. De Communionem sub utraque specie (f. 50-54).
7. Testimonia S. Scripturae de Christo-Capite, Pastore, Pontifice, atque Fundamento Ecclesiae (f. 55-60).
8. Testimonia S. Scripturae de aequalitate potestatis omnium Apostolorum (f. 60v-66v).
9. De vivificante Cruce (f. 67-75).
10. Testimonia S. Scripturae de cultu imaginum (f. 76-82v).
11. De animabus Sanctorum, de Paradiso et Coelo deque Regno Dei (f. 83-96).
12. De invocatione Sanctorum eorumque gloria deque oratione (f. 96-105v).
13. De oratione pro defunctis (f. 105v-114).
14. De Purgatorio (f. 114-117).
15. De jejuniis (f. 117-132).
16. De cantu ecclesiastico (f. 132v-146).<sup>37</sup>
17. De septem conciliis oecumenicis eorumque praesidentibus (f. 147v-159).
18. De concilio Florentino (f. 159-167).<sup>38</sup>
19. De potestate patriarcharum (f. 172-177).
20. De limitata potestate episcopi Romae (f. 177v-186).
21. De schismate Romanorum (187-195v).
22. De excommunicatione Romanorum Pontificum ex parte patriarcharum (f. 195v-202v).
23. De vera descriptione apostasiae sic dictis « Unitis » (f. 203-217).
24. Juramentum apostatarum (f. 217v-225).
25. De Unione prout actione malitiosa (f. 226-232).
26. Quo jure Rus' Ecclesiae Constantinopolitanae subest (f. 232-v236).

---

*sviatoj Cerkvi vostočnoj, o izriadnišykh orthykulach ot božestvennogo pysanija putnoho rady slučaja v honeniji ot nuždy v kratci sobrana »; V. UNDOLSKIJ, o.c., col. 309.*

<sup>36</sup> L.F., f. 2v-9.

<sup>37</sup> Ad hoc caput adjunctus est articulus de oratione (f. 146v-147v).

<sup>38</sup> Huic capiti adjuncta sunt duo corollaria (f. 167v-172), de quibus infra aliquid dicemus.



27. De hoc quod Ecclesiae Orientales Ecclesiam Occidentalem de haeresibus purgaverunt, necnon de professione fidei, quam episcopi Romae ceteris patriarchis mittebant (f. 236v-237v).

28. De divergentiis inter Ecclesiam Orientalem et Ecclesiam Latinam (f. 244-257v).

29. De SS. Trinitate contra Judaeos (f. 258-267).

30. De Antichristo atque fine mundi (f. 267v-288).

31. De baptismo contra protestantes (f. 283v-288).<sup>39</sup>

Tractatus de vera fide et unica Ecclesia veluti fundamentum est totius operis, ideoque primo loco ponitur. Simili igitur modo ac polemista catholicus Petrus Skarga et theologus « Orthodoxus » Basilius Surazskij, etiam noster auctor tractationem suam incipit. Hisce praemissis Pseudo-N. quaestionem de fide et baptismo Rus' tractare visum est. Ipse demonstrat Rus' Constantinopoli non Roma accepisse baptismum consequenterque Ecclesiam Rus' patriarchis oboedientiam debere. Post hoc Pseudo-N. doctrinam de processione Spiritus Sancti a solo Patre, de SS. Eucharistia, nec non de Communionem sub utraque specie exponit. Nescimus cur ipse hoc in loco de his quaestionibus tractare maluerit; forsitan quia quaestio de « Filioque » una cum quaestione de azymis, secundum traditionalem positionem Orthodoxorum, tamquam principalis causa scissionis Ecclesiarum extitit. Deinde tractationem de Primatu Romani Pontificis Auctor incipit, volens fortasse adungere hoc modo adhuc aliam « aberrationem » Latinorum. Incipit tractare, diximus, quia ad hanc quaestionem multis adhuc in locis redibit. Praeter quaestiones, quae ad historiam ecclesiasticam et ad ecclesiologyam pertinent, Pseudo-N. tractat etiam quaestiones: de vivificante Cruce, de cultu imaginum, de novissimis, de jejunio, de cantu ecclesiastico et de oratione, nec non de Trinitate contra Judeos et de Antichristo. Caput 31, de Baptismo, operi Pseudo-N. extraneum est, sed ipsi adjunctum est ab editoribus.

Ex primo jam aspectu istius dispositionis videtur « *Liber de fide* » Pseudo-N., ob defectum ordinis atque nexus logici, qui uniret omnes quaestiones, tamquam quaedam libera collectio tractatum evasit.

Hac de causa, ut patet, non tam facile est analysim bene ordinatam ejusdem libri instituere. Attamen, pro viribus nostris, propositum laborem, scilicet analysim una cum inquisitione vel indicatione fontium tribus capitibus absolvere conabimur.

Primum caput (in ordine generali 2) de tractatibus indolis historicae, secundum (in ordine gen. 3) de quaestionibus ecclesiologicalis et tertium demum (in ord. 4) de ceteris quaestionibus agit.

---

<sup>39</sup> Hoc caput ad opus Pseudo-Nathanaelis (manuscriptum) non pertinebat. Quis vero fuerit ejus auctor, infra videbimus.

CAPUT II  
TRACTATUS HISTORICI

ART. 1: DE CONCILIIS OECUMENICIS. — ART. 2: DE SCHISMATE LATINORUM. — ART. 3: EXORDIA FIDEI CHRISTIANAE IN ANTIQUA RUS'. — ART. 4: DE UNIONE BERESTENSI.



## CAPUT II

### TRACTATUS HISTORICI

#### Art. I. — De Conciliis Oecumenicis

Scopus principalis capitis 17 fuit, ut demonstretur, in nullo concilio oecumenico Romanum Pontificem habuisse praesidium. Antequam tamen ad brevem historiam conciliorum oecumenicorum adumbrandam pervenisset, opportunum duxit Auctor noster aliqua verba de primo concilio Apostolorum dicere. Huic concilio Hierosolymitano Jacobus, frater Domini, ut episcopus civitatis praecerat ipseque iudicia decisiva dabat (Act. Ap., 15,19); hoc etiam superioritatem Jacobi super Petrum ostendere deberet, quia secundum Hesyrium Hierosolymitanum « Petrus praedicat, Jacobus decernit ».<sup>1</sup>

His praemissis, Pseudo-N. ad concilia oecumenica transit pertractanda.

I. EXPOSITIO. — Primo concilio generali (a. 325) ipse Constantinus Imperator praesidebat. Ex patriarchis autem Eustachius Antiochenus primum locum occupabat. Ex parte Romanorum Legati Vincentius et Victor (vel Vitus), vices Sylvestri Papae, propter senectutem absentis, gerebant. Hoc confirmatur operibus historicorum antiquorum, Sosomeni<sup>2</sup> nempe, Theodoreti,<sup>3</sup> Matthaei Blastari,<sup>4</sup> et Eusebii Caesariensis.<sup>5</sup>

Eustachius ipse, eo quod primum locum in concilio occupabat, in Minea 21 Februarii tamquam « caput patrum et princeps concilii » laudatur. Hosius autem, quem vices Sylvestri Papae gerere asserunt, propria auctoritate et non aliena concilio adfuit.<sup>6</sup>

---

<sup>1</sup> *L.F.*, 148. cfr. P. G. 93, col. 1479 C.

<sup>2</sup> *Hist. Eccl.* lib. I, cap. XVII; cfr. PG. 67, coll. 911.

<sup>3</sup> *Hist. Eccl.* lib. I, cap. VI; cfr. PG. 82, coll. 918-922.

<sup>4</sup> Revera Matthaeus in *Syntagma* inter alia haec verba habet: « quibus (Patribus) praesidebat Silvester et Julius, celeberrimi veteris Romae praesules... »; cfr. PG. 144, coll. 974 B.

<sup>5</sup> Auctor non dicit textum Eusebii, sed procul dubio, agitur de « *De vita Constantini* », lib. III, c. X; cfr. PG 20, 1063 B.

<sup>6</sup> Quid hac de re Catholici sentiant videas e.g. apud FREDEGANGUM CALLAEY, *Praelectiones Historiae Ecclesiasticae Antiquae*, Romae 1944, p. 304-5.

In secundo concilio oecumenico (a. 381) neque Damasus Papa, neque ejus Legati adfuerunt. Scriptores orientales (Sosomenes, Socrates, Nicephorus Callistus et Theodoretus) descriptionem concilii facientes, nullam mentionem illorum faciunt, immo ipse Bel-larminus agnoscit eorum absentiam. Ut Matthaeus Blastares refert, « concilio praesidebant: Thimotheus Alexandrinus, Meletius Antiochenus et Cyrillus Alexandrinus, primus tamen omnium Nectarius, patriarcha Constantinopolitanus fuit.<sup>7</sup> Quia ergo Legati Papae neque in hoc concilio, neque postea in quinto aderant, certum est « ab hoc tempore... tam sine praesidentia ipsius Papae, quam ejus Legatorum concilium incipi, celebrari et finiri posse ».<sup>8</sup>

In tertio concilio oecumenico Cyrillus Alexandrinus praesidebat. Quod dicunt de Cyrillo tamquam ex delegatione Romani Pontificis ipsum praesidium in concilio habuisse, non est verum, nam Cyrillus propria auctoritate concilio praesidebat, necnon ipse vices Papae Coelestini in concilio gerebat, non prout praesidens, verumtamen in actiones concilii ex parte Romanae Sedis consentiens. Legati Papae (Arcadius et Projectus, episcopi atque Philippus, presbyter) non ut concilio praesiderent, sed ut adessent actionibus, Ephesim venerunt. Tandem neque Cyrillus tamquam Legatus Papae, sed tamquam praesul Alexandrinae Sedis acta concilii subscripsit.<sup>9</sup>

In concilio universali quarto (a. 451) patriarcha Constantinopolitanus praesidebat. Leo Papa non adfuit, sed Legatos misit Paschasinum, Lucium et Bonifacium. Tamquam unicum argumentum ad praesidium Romani Pontificis negandum auctor hoc habet, quod Matthaeus Canonista legatos Papae post Anatolium, Maximum Antiochenum et Juvenalem Hierosymitanum posuit.

Quinto concilio generali (a. 553) ut Matthaeus Canonista refert,<sup>10</sup>

<sup>7</sup> Revera Matthaeus haec habet: « Praesides habuit haec synodus Timotheum Alexandrinum, Meletium Antiochenum et Cyrillum Hierosolymitanum, verum etiam Nectarium... Haud multo post veteris quoque Romae episcopus Damasus eundemque synodum confirmavit »; cfr. PG 144, col. 982C.

<sup>8</sup> *L.F.*, fol. 150v. Ad concilium I Constantinopolitanum quod attinet, animadvertas velim ipsum, convocatum tamquam concilium generale pro episcopatu orientali, initio non considerebatur tamquam oecumenicum. Sub respectu tamen dogmatico a saec. VI hoc conc. in universa Ecclesia tamquam oecumenicum habitum est; cfr. F. CALLAËY, *o.c.* p. 324-5; M. JUGIE, *o.c.*, I, p. 86-91.

<sup>9</sup> Ad dicta confirmanda auctor se refert ad testimonia Matthaei Blastaris et praesertim Nicephori Callisti, qui revera haec verba habet: « Praesente Juvinale et divino Cyrillo, qui locum Coelestini tenuit »; *Hist. Eccl.*, XIV, 34; cfr. PG 146, col. 1170. Positio legatorum, secundum auctorem, ex epistola Coelestini elucet et nempe ex verbis: « qui (legati) iis quae aguntur intersint »; Nihil dicit tamen auctor, quod Coelestinus statim post haec verba scribit: « ... et ea quae a nobis antea statuta sunt exequantur »; cfr. MANSI, 4, col. 1283.

<sup>10</sup> *Syntagma*, PG 144, col. 987.

mortuo praesidente Mina, Euthychius patriarcha Constantinopolitanus praesidebat. Episcopus Romae nec personaliter, nec per Legatos aderat. Papa Vigilius tunc temporis in eadem Urbe fuit, tamen concilio adesse atque in damnationem trium capitulorum assentire noluit. Ipse enim, dicit auctor, schismaticus et haereticus fuit. Imperatore minante, propter timorem, statuta concilii postea accepit.<sup>11</sup>

Sexto concilio universali (a. 680-681) Gregorius et Paulus patriarchae Constantinopolitani praesidebant. Legati Pontificii Theodorus et Georgius presbiteri atque Joannes diaconus post patriarchas acta concilii subscripserunt. In concilio, quod nomen « Quinisexti » habet, Basilius metropolita Cretae, munere legati Papae fungens, nomen suum sub actis concilii etiam post patriarchas signavit.<sup>12</sup>

Concilio oecumenico septimo (787) Tarasius, patriarcha Constantinopolitanus, praesidebat, non autem Legati Papae Petrus presbyter et Petrus abbas monasterii S. Sabae. Neque in concilio Constantinopolitano anno 879 habito Papa primatum habuit, quia Photius ipse praesidebat.<sup>13</sup>

Similiter in conciliis particularibus contingit.<sup>14</sup> Proinde conclusio ei videtur evidens: Episcopus Romae numquam in conciliis oecumenicis praesens erat. Saepius Legati ipsius conciliis ne quidem adsistebant, quo non obstante, decreta conciliorum valida erant. Si tamen Legati aderant, numquam praesidium tenebant.<sup>15</sup>

<sup>11</sup> De causa Vigilii videas G. HERGENRÖTHER, *Storia Universale della Chiesa*, vol. II, Firenze 1905, p. 352-356.

<sup>12</sup> Notandum est quod theologi dissidentes concilium Trullanum communiter referunt sive ad synodum oecumenicam sextam, sive ad quintam et sextam simul; unde ipsum nomine synodi « Quinisextae » nuncupatur; cfr. M. JUGIE, *o.c.*, I, p. 663.

<sup>13</sup> Auctor non nominat illud—concilium oecumenicum. Animadvertendum tamen est, quod satis communiter illud inter oecumenica recensetur; cfr. M. JUGIE, *ibidem*, p. 664-665.

<sup>14</sup> Ibi auctor hoc recenset nempe, quod concilio Canthaginensi praesidebat Aurelius, episcopus loci, concilio Sardicensi—Hosius Cordubensis et aliis alii episcopi loci et numquam legati Papae.

<sup>15</sup> Tamquam complementum ad supra dicta sunt duo corollaria, a Pseudo-N. in fine capituli 18 adnexa. In primo corollario (f. 167v-168v) per summa capita descriptionem conciliorum oecumenicorum denuo exhibet, attentionem specialem faciens de iis, qui concilium convocarunt, nec non de numero Patrum. Haec omnia secundum testimonia Sosomenis, Nicephori Callisti et Socratis exponuntur. In altero vero corollario (f. 168v-172) adhuc de praesidentibus in conciliis tractat. Ibi quae multa, jam in capite 17 exposita, repetit additque tamen Legatos Pontificios semper in parte sinistra et patriarchae in parte dextera relate ad Imperatorem locum occupasse. Corollaria illa transcripta sunt ex « *Palinodia* », RIB, IV, col. 1120-1123; 1168-1174.

II. COROLLARIA. — Tamquam corollarium ad supra dicta, caput 18 de concilio scilicet Florentino proponitur (f. 159-167).

Sicut alii polemistae anticatholici, ita etiam auctor istius capituli concilium illud tamquam quemdam congressum considerat. Ipse notat hanc ob rationem Papam Eugenium a contrario concilio Basileae celebrato depositum esse<sup>16</sup> et Papam Nicolaum acta concilii Basilaensis approbasse validitatemque concilii Florentini a plurimis occidentalibus non posse agnosci. Clarum est, a fortiori a Graecis agnosci non posse. Neque in concilio Florentino unio Graecorum cum Latinis facta est, quia: si unio fuisset inter utramque partem, Latinam scilicet et Graecam, aliquid immutatum esset, sed notum est Graecos suam fidem traditionalem servare et Latinos in propria obstinatione usque ad hodiernos dies manere. 2. Si Unio inter eos facta esset, Graeci non scripsissent ad Concilium Basileae: « ignem purgatorii damnantes et refutantes », <sup>17</sup> sicut Orthologus <sup>18</sup> in « *Threnos* » refert. 3. Si Unio facta esset, Bessarion <sup>19</sup> in patriam reversus esset et Isidorus metropolita Kioviensis non esset in Russia incarceratus. 4. Si Unio facta esset, in omnibus sedibus patriarchalibus documentum Unionis in libris canonum insertum esset, sed hoc nec Constantinopoli, nec Alexandriae, nec Antiochiae et Hierosolymis, sed tantum Romae factum est. 5. Insuper Josephus patriarcha Constantinopolitanus, tempore quo duae partes in controversia manebant, mortuus est et actum Unionis non subscripsit. Tandem Graeci illud concilium « latrocinium » vocant. Ergo si concilium non fuit, nec Unio fuit.<sup>20</sup> Plures inter Graecos protestationes contra illud scribebant, e.g. Marcus Ephesinus,<sup>21</sup> qui una cum metropolita Heraclensi et Dionysio Sardicensi huic synodo non subscripserunt. Etiam in vita S. Sergii Mosquiensis, sub die 25 septembris, legitur concilium Florentinum non esse finitum legatosque Russos, Isidoro metropolita deserto, confugisse.

---

<sup>16</sup> Auctor citat decretum depositionis Eugenii Papae; cfr. MANSI 29, col. 179-181; et CROMERUS, *De origine et rebus gestis Polonorum*, Basileae 1568, lib. XXII, p. 332. De tota quaestione concilii Basilaensis videas: FREDEGANGUS CALLAEY, *Praelectiones Historiae Eccl. Aetatis mediae et modernae*, Romae 1937, p. 154-162.

<sup>17</sup> « Ohonj čystytelnyj pochulašče i otmetajušče »; *L.F.*, f. 163.

<sup>18</sup> Id est Meletius Smotryckyj.

<sup>19</sup> « *Liber de fide* » f. 163 habet: « Bessarion metropolita Kioviensis », debet tamen esse Bessarion archiepiscopus Nicaenus. Videtur hic error typographicus est.

<sup>20</sup> Quod Unio felicem successum in Concilio Florentino habuerit videas e.g. F. CALLAEY, *o.c.*, p. 106-111.

<sup>21</sup> Auctor memorat ejus opera: « *Confessio fidei* », « *Capita Syllogistica* » et « *Dialogus Graeci cum Latino de Filioque* ».

III. ANIMADVERSIONES. — Ante omnia notamus: ut confutatio capitulis 17 et 18 « *Libri de fide* » exhiberi possit, necessarium esset ea omnia repetere quae probati historici Catholici de hisce quaestionibus scripserunt. Ad quaestionem tamen de praesidio in conciliis quod attinet, animadvertas velim ab exordio Ecclesiae ubique admissam fuisse regulam, Romanum Pontificem esse supremum praesidem conciliorum oecumenicorum, etsi ipse, secundum antiquissimum morem, in conciliis oecumenicis personaliter non adfuit. En testimonia scriptorum Orientalium: Socratis<sup>22</sup> nempe et Sossomeni,<sup>23</sup> historicorum atque Cyrilli et Methodii, Apostolorum Slavorum:<sup>24</sup> « nequaquam fas erat, absque Romani Episcopi sententia et consilio, aut synodos generales haberi, aut ecclesiis omnibus decreta sanari ». « Privilegia ergo Senioris Romae ad finem usque inconcussa manent. Ideo quia et praesidet omnibus ecclesiis ejus episcopus, propter honorem non cogitur, ut conveniat ad sancta universi mundi concilia ».

At vero absque ipsius per quosdam Legatos participatione, concilium oecumenicum stare non potest; ipse enim est qui in concilio locum praesidis obtinet.<sup>25</sup>

Quid vero dicendum est de fontibus horum capitum?

Ad scriptores antiquos quod attinet, qui in textu citantur, in notis animadversiones nostras exhibuimus; ideo manet solum, ut de fontibus directis aliqua verba dicamus.

Etsi caput 17 « *Libri de fide* » opportuno loco non ponitur, certum est illud ad argumenta historica, pro primatu Romani Pontificis

<sup>22</sup> *Historia Ecclesiastica*, II, VIII, 17.

<sup>23</sup> *IBIDEM*, II, X.

<sup>24</sup> In pervetusto codice n. 413 monasterii Solovetsiani, qui nobis aservavit veterem Nomocanonem Slavicum, habetur canon 28 Chalcedoniensis una cum commentario contra Romanos, cui adjungitur scholion, quo commentarium hoc confutatur. Prima vice publici juris illud scholion fecit Russus A. Pavlov in « *Vizantijskij Vremennik* », t. IV, Sanktpeterburg 1897, p. 147-154. Recentius de hoc scholio TH. KURENT, *Studia quaestionem de Primatu Ecclesiae saeculo IX disputatam illustrantia*, in « *Acta Academiae Velehradensis* », t. XIV, (1938) tractationem habet. Ipse quoque conspectum totius controversiae de hoc scholio exhibet. Ex quo constat, in sententia omnium auctorum scholium ad cyclum SS. Cyrilli et Methodii pertinere.

<sup>25</sup> « Nepodvyžymy ubo do okončanija (vika) sutj starijšahó Rima česty. Tim jakože i (ot) načyna (nija) vsich crkvej sviatyh vseja vselenyja sborich toho sviatytel česty rady ne nudytsia schodytysia, bez soviščanija že toho nykyjimy poslanymy ot neho, suščiji (ly) pod pristolom jehó veseja vseleenyja sbor ne byvaše, i ježe sam upravlaše, načinaša v soborich ». Citationem hanc suminus ex scholio publicato a BENEŠEVIČ in « *Byzantinische Zeitschrift* », 1936, p. 103.



a Catholicis ex praesidio in conciliis desumpta, confutanda introduci.

Ante omnia notandum est, Pseudo-Nathanaëlem in hoc capite simpliciter nihil proprii habere, quia caput hoc ex « *Palinodia* » Zachariae Kopystenskyj transcriptum est (*Palinodia*, pars II, caput II, art. III).<sup>26</sup>

Dictum est in prima parte hujus dissertationis, methodum « *Palinodiae* » secundum « *Defensionem Unionis Ecclesiae* » Leonis Kreuza constructam esse; etenim opus Zachariae operi Kreusae contraponitur. L. Kreuza autem, postquam in prima parte sui operis primatum Petri argumentis ex Sacra Scriptura, Traditione, necnon ex libris liturgicis slavicis probaverit, in secunda parte ejusdem operis ad primatum successorum Petri transit.

In capite quidem secundo ejusdem partis, ex praesidentia Rom. Pontificum in conciliis Kreuza thesim suam probare vult.<sup>27</sup> Zacharia Kopystenskyj autem, in primis contra L. Kreuzam opponit argumentum ex praesidentia R. Pontificum in conciliis petitum neque umbram veritatis habere, deinde ad notam iam nobis expositionem per partes transit.

Caput 18 de concilio Florentino etiam a Pseudo-Nath. ex « *Palinodia* » compilatum est (*Palinodia*, pars secunda, cap. XII, art. I;<sup>28</sup> et pars IV, cap. I, art. IV).<sup>29</sup>

Primus articulus tamquam corollarium ad refutationes obiectionum Leonis Kreuza quoad simoniam aliosque abusus patriarcharum Constantinopolitanorum, a Zacharia exhibitos, reputandus est.

Secundus autem articulus, quem Pseudo-Nathanaël in suo capite 18 inscribere ausus est, stricte tamen argumento Leonis Kreuza contraponitur.

In parte nempe quarta suae « *Defensionis* » Leo Kreuza Unionem Berestensem ab obiectione illegitimitatis defendens, inter alia dictam Unionem quasi prolongationem Unionis Florentinae esse ostendit.<sup>30</sup> Zacharias Kopystenskyj autem, ut vidimus, invaliditatem concilii Florentini consequenterque Unionis probare conatur. Non est dubium quod ipse scriptis polemistarum, qui hac de re scripserunt, usus est et praesertim influxus « *Historiae de listrico concilio Florentino* » nec non « *Admonitionis* » Georgii Rohatynec in citatis articulis apparet.

<sup>26</sup> RIB, IV, col. 536-552; cfr. A. IŠČAK, *De Zacharia Kopystenskyj*, t. IX (1931), p. 74-77; V. UNDOLSKYJ, *o.c.*, col. 296-312; E. KALUZNIACKIJ, *o.c.*, p. 6.

<sup>27</sup> RIB, IV, col. 75-178.

<sup>28</sup> RIB, IV, col. 940-949; cfr. A. IŠČAK, *o.c.*, p. 104-105; V. UNDOLSKIJ, *o.c.*, col. 312; E. KALAŽNIACKIJ, *o.c.*, p. 6.

<sup>29</sup> RIB, IV, col. 1120-1123; cfr. A. IŠČAK, *o.c.*, p. 231.

<sup>30</sup> Cfr. A. IŠČAK, *o.c.*, p. 228.

**Art. II. — De schismate Latinorum**  
(cap. 21, f. 187-195v).

Ordine chronologico cum quaestionibus de conciliis oecumenicis agitatis, caput 21 de schismate Latinorum conjungitur. En ejus argumentum:

De scissione in Ecclesia Christi, post septem concilia oecumenica consummata, non Graeci, sed Latini criminandi sunt. Ipsi enim dereliquerunt sanctam Ecclesiam Orientalem, sicut Christum, qui « Oriens ex alto » nuncupatur. Etenim primus Leo III Papa (795-816), post septimum concilium universale oboedientiam legitimo imperatori negavit et se ipsum illegitimo advenae in servitutem redegit.<sup>31</sup>

Haec quidem scissio politica fuit. Huic scissioni politicae Papa Sylvester II (999-1003), symbolo fidei particulam « Filioque » inserens<sup>32</sup> renuensque litteras communionis in Orientem, secundum praecepta conciliorum, mittere, schisma religiosum addidit.

Rebellio Leonis III aliquid inauditum in historia hucusque fuit. Neque enim Romani Pontifices, neque ceteri patriarchae, tempore persecutionum ab imperatoribus Constante et Valente, Anastasio et Constantino Pagonato, Justiniano II et Leone Isaurico aliquid simile facere ausi sunt, quia hoc nec Christus nec Apostoli fecerunt.

Postquam vero Sylvester II symbolo violentiam intulit et epistolam communionis ad patriarchas Orientales mittere renuit, patriarchae, admonitionibus praemissis, episcopum Romae excommunicarunt, quod factum temporibus Michaëlis Caerularii accidit.

Leo III autem, etsi scissionem provocavit, totis viribus adlaboravit, ut fides in Occidente latino immaculata maneret. Eos vero, qui a Papa Romano approbationem additamenti « Filioque » in symbolo petebant, Leo III objurgavit et additamentum inserire prohibuit.<sup>33</sup>

Ultimam et irreparabilem aversionem Graecorum a Latinis expeditio cruciferorum perfecit et roboravit. Etenim, instigante Papa Innocentio III, anno 1204 Latini, sub praetextu liberandae Hierosolymae, incursionem in Constantinopolim perfecerunt eamque occuparunt, ut Nicetas Choniates vehementissimis verbis depinxit.

Caput 21 « *Libre de fide* » compilatum quoque est ex « *Palinodia* »

<sup>31</sup> Agitur de Carolo Magno, Francorum rege.

<sup>32</sup> Quaestionem de insertionem « Filioque » in symbolo fidei apud occidentales, M. JUGIE, *De processione Spiritus Sancti ex fontibus revelationis et secundum Orientales dissidentes*, « Lateranum », Romae 1936, p. 233-258, funditus pertractavit.

<sup>33</sup> De mente S. Leonis Papae III circa processionem Spiritus Sancti cfr. etiam M. JUGIE, *Theologia dogmatica Christianorum Orientalium*, I, p. 167-179

Zachariae Kopystenskyj (Pars II, cap. IX, art. VI),<sup>34</sup> praeter brevem introductionem, quam Pseudo-Nathanael propriam habet. Hic autem articulus de schismate Latinorum Z. Kopystenskyj contra Leonem Kreuza scripsit, qui in suo opere expresse affirmavit, post septem concilia oecumenica patriarchas Constantinopoleos in unione cum Ecclesia Romana fuisse et Graecos schisma provocasse.<sup>35</sup>

Ad fontes remotos quod attinet, in articulo « *Palinodiae* » consequenterque in 21 capite « *Libri de fide* » vestigia fabulosae narrationis de origine schismatis, apud Byzantinos post consummationem schismatis vulgatae deprehenduntur, id est opusculi: « *Quando et quanam ratione a nobis scissi fuerint Latini...* ».<sup>36</sup>

### Art. III. — Exordia christianae religionis in antiqua Rusj. (cap. 3, f. 30-38)

Caput 3 « *Libri de fide* » propositum habet, ut demonstret Rusiam non Roma, sed Constantinopoli illuminatam fuisse fide christiana. Quod quidem non sine providentia divina fuit. Mandatum enim Christi explentes, Apostoli ubique terrarum Evangelium praedicare profecti sunt. Munus evangelizandi in Russia Apostolus Andreas primovocatus accepit. Ipse autem in Rus' venit atque Kioviae crucem fixit, unde per civitatem Novhorod et mare Germanicum Romam pervenit et de gestis suis retulit.<sup>37</sup>

Haec fuit prima conversio Rus'; hoc factum tamquam subiectio Rus' sub patriarchatum Constantinopolitanum accipiendum est; ete-

<sup>34</sup> RIB, IV, col. 758-765; 775-780. Cfr. V. UNDOLSKYJ, *o.c.*, col. 312; E. KALUŽNIACKIJ *o.c.*, p. 6.

<sup>35</sup> RIB, IV, col. 196-209; cfr. A. IŠČAK, *o.c.*, p. 92-96.

<sup>36</sup> Hujus narrationis tres occurrunt in codicibus textus, quorum duo posteriores nihil aliud sunt, nisi primi textus elaborationes. Has edidit Hergenröther in « *Monumenta ad Photium pertinentia* », p. 154-181. Idem auctor de his textibus critice disserit in « *Photius Patriarch von Konstantinopel* », Regensburg 1869, II, p. 834-847. Hae fabulae ad Rus' usque per Graecos et Serbos pervenerunt, et in diversas collectiones insertae inveniuntur; cfr. A. POPOV, *Istoriko-literaturnyj obzor drevnie-russkich polemičeskich sočinenij protiv Latinian (X-XV)*, Mosquae 1875, p. 145; M. JUGIE, *o.c.*, I, p. 376-380.

<sup>37</sup> Ad hoc duo testimonia sat obscura exhibet: I. Tertulliani: « ... et Sarmatarum et Dacorum et Germanorum et Scytarum... in quibus omnibus locis Christi nomen, qui jam venit requiet »; « *Adversus Judeos* », cfr. PL, II, col. 610-1. II. Socratis ex libro II, XXV capitis ejus Hist. Eccl. Socrates in I.c. habet mentionem de Regora Antipatre, episcopo Rhosi, qui acta cujusdam synodi Antiochenae sub imperatore Juviano habitae, una cum aliis episcopis subscripsit. « Valde rationi conveniens — dicit auctor — quod ille Antipater ex nostra Rus' erat »; *L.F.*, f. 32.

nim Apostolus Andreas primus « Pastor et patriarcha » Byzantii extitit.<sup>38</sup>

Benedictio illa apostolica terrae Rus' (Ucrinae) ad effectum deducta fuit prima vice circa annum 860, tempore scilicet patriarchae Photii et Imperatoris Basilii Macedonis. Hoc nempe tempore Michaël, primus episcopus pro terra Rus', a Photio patriarcha designatus, miraculo patrato, plures Russos baptizavit, prout Zonaras<sup>39</sup> et ipse Photius<sup>40</sup> referunt. « Et haec fuit — dicit auctor — altera, secundum providentiam divinam, conversio populi Rus' et effectiva subiectio sub oboedientiam patriarchae Constantinopolitani ».<sup>41</sup>

Tertia conversio Rus' cum persona principissae Olgaе, avae Vladimiri Magni, quae circiter anno 970 cum multis bojaris baptismum recepit, conjungitur.<sup>42</sup>

Quarta demum populi Rus' ad Christum conversio tempore Vladimiri locum habuit. Ipse nempe totam Rus' baptizavit. En descriptio conversionis Vladimiri, quam auctor exhibet.

Ad Vladimiri, baptismum accipere cupientem, legati Musulmanorum, Latinorum et Judaeorum venerunt, suamque religionem ei offerebant. Vladimirus tamen, postquam legatos proprios, quos antea ad diversas religiones explorandas miserat, exaudisset, religionem Graecorum, ob pulchritudinem ejus caeremoniarum, sine ulla haesitatione accepit. Una cum legatis Vladimiri, ex Byzantio in patriam redeuntibus, Cyrillus philosophus quidam, jussu imperatorum Constantini et Basilii atque patriarchae Nicolai Chrysobergi, ut Vladimirus in fide instrueret, Kioviam venit.

Ad lectorem sese convertens, dicit auctor: « ausculta, quod Dominus Deus Russis non ad veterem Romam Latinam ad baptizandum et fidem amplectendam viam monstravit, nec ab illa doctrinam, magistros, libros et pietatem illis (Russis) tradidit, sed e nova Roma, Graeca scilicet, e Constantinopolitana Urbe ».<sup>43</sup>

<sup>38</sup> L.F., f. 30.

<sup>39</sup> Auctor citat sat longum passum ex Annalibus Joannis Zonarae, lib. XVI, ubi describitur hoc miraculum, nempe Evangelium in ignem injectum intactum evasisse; cfr. PG, 135, col. 59, 62. De veracitate istius miraculi difficile est aliquid dicere; non est tamen dubitandum de ipso facto, revera multos ex Rus' baptizatos fuisse. Attamen probabile est illos baptizatos non ad Rus' Slavorum sed potius ad Rus' Germanorum vel Normanorum pertinuisse. Cfr. S. TOMAŠIVSKYJ, *Vstup do istoriji Cerkvy na Ukrajinu*, in AOSBM, t. IV, fasc. 1-2 (1931) Žovkva, p. 63.

<sup>40</sup> Revera Photius in sua epistola encyclica (anno 866) mentionem de baptismo Rus' fecit; cfr. PG. 102, col. 736-737.

<sup>41</sup> L.F., f. 33.

<sup>42</sup> De quaestionibus cum baptismo Olgaе connexis, videas: E. GOLUBINSKYJ, *Istoria Russoj Cerkvi*, t. I, pars I, Mosquae 1904, p. 74-84; S. TOMAŠIVSKYJ, o.c., p. 68-69; P. ISAJEW, *From where did Rus-Ukraine accept Christianity?* Philadelphia 1952.

<sup>43</sup> L.F., f. 37-37v.

Proinde, qui Ucrainos Alboruthenosque ab illa ad aliam fidem trahunt, contra ipsum Deum pugnant. Si enim voluntas Dei fuisset, ut Rus' Roma fidem accepisset, hoc procul dubio factum esset tempore, quando Legati Papae ad Vladimirim cum proposito baptismi venerunt. Sed ita factum non est.

In conscribendo hoc capite Pseudo-Nathanaël iterum « *Palinodia* » usus est et praecise articulo primo, capitis primi, tertiae partis.<sup>44</sup> Introductionem autem et conclusionem Pseudo-Nathanaël propriam habet.

Leo Kreuza, in parte historica suae « *Defensionis* », ostendere conatus est baptismum Rus-Ucrainae tempore quo unio Ecclesiae Constantinopolitanae cum sede Romana post schisma photianum restituta fuit, accidisse.<sup>45</sup> Zacharias Kopystenskyj, e contra, quaestionem de redintegrata Unione pauca tantummodo habet atque nititur ut, ex ipso facto quod Rus' ter Constantinopoli illuminata fuisset, inconditionatam subiectionem illius Ecclesiae patriarchis Constantinopolitanis probaret.

Ad historiam illam de quadruplici illuminatione terrarum Rus' probandam, auctor noster, praeter testimonia Tertuliani, Zonarae et Photii, duabus utitur inventionibus, Andreana nempe et alia de legationibus diversarum religionum ad Vladimirim principem dogmata propria offerentibus necnon de Cyrillo philosopho, ex Chronicis Nestoris desumpta.

Ad testimonium Tertuliani, Zonarae et Photii quod attinet, animadvertendum est, ea nimis obscura esse atque secundum probatos historicos solummodo partes septentrionales Maris Nigri propinquiores respicere. Ad narratiunculas autem illas quod attinet, eas omni fundamento historico carere hodie compertum omnino est.<sup>46</sup>

---

<sup>44</sup> Textus a Pseudo-Nathanaële compilatus invenitur in RIB, IV, col. 969-984; cfr. A. IŠČAK, *o.c.*, 219-221.

<sup>45</sup> Cfr. A. IŠČAK, *o.c.*, p. 219.

<sup>46</sup> De narratione Andreana videas: E. GOLUBINSKYJ, *o.c.*, I, I, p. 19-34; A. POGODIN, *Poviest o choždieniji Apostola Andrea v Rusy*, in « *Byzantino-Slavica* », VII, Praegae 1937-1938, p. 128-147. Recentius hac de re articulum habent PAULUS HRADIUK et ROMANUS HOLOVACKYJ, *S. Andreas Apostolus Schismatis.*, in « *Euntes Docete* », fasc. 2, Romae 1949, p. 260-264. Chronica, secundum codicem Lavrentijivskyj (edita ab Archeographica Commissione Academiae Scientiarum anno 1872 Petropoli et iterum publicata anno 1926 ab historico-archeographica Commissione Academiae Scientiarum Unionis Sovieticae) sub anno 986 anarrat de diversis legatis apud Vladimirim. Sub eodem anno enarratur etiam, quod Cyrillus philosophus exposuit Vladimiro praecipuas criminationes Latinorum (inter quas primum locum occupat quaestio de azymis). Inquisitiones vero recentiores demonstrant, has narrationes ad primitiva Chronica non pertinere, sed interpolatae sunt s. XII, vel initio s. XIII. Hanc ob causam, quod Graeci

COROLLARIUM: — DE JURE QUO RUS' ECCLESIAE CONSTANTINOPOLITANAE SUBIICITUR.

Nexu quodam logico, tamquam corollarium supra dictorum, caput 26 « *Libri de fide* » conjungitur (Quo jure subicitur Rus' Ecclesiae Orientali Constantinopolitanae ejusque patriarchis, f. 232v-236). Ad mentem auctoris, ius hoc fundatur in jure divino et apostolico nec non in jure humano, sive canonico sive civili.

I. JUS DIVINUM ET APOSTOLICUM. — a) Ex providentia divina Apostolus Andreas primovocatus Constantinopolitanae Sedis fundator extitit.

b) Item ex providentia Dei ille Apostolus in terris Rus verbum Dei praedicabat.

c) Similiter et dispositione Dei Ruś triplici baptismo ope sedis Constantinopolitanae illuminata est.

Clare omnino patet, episcopus Romae, concludit cum aestu polemico auctor, metere non valet, quod non seminavit.

II. JUS CANONICUM. — Secundum canonem 28 Chalcedonensem, ut ex interpretatione Balsamonis et Matthaei Blastaris constat, dioeceses inter barbaros, id est terra Rus' Sedi Constantinopolitanae subiiciuntur. Hoc etiam concilia posteriora comprobaverunt.

III. JUS IMPERATORUM. — Rus' subicitur Sedi Constantinopolitanae jure etiam imperatorum ejusdem Urbis et principum Russiae. Etenim Vladimirus ejusque populus a Graecis baptizatus est, a Graecis etiam fidem et episcopos accepit. Inter Vladimirus et imperatores pactum fuit, ut semper episcopi Rus a patriarchis Constantinopolitanis constituerentur. Quod jus neque recentioribus temporibus a regibus Poloniae restringebatur.

Caput 21 « *Libri de fide* » compilavit Pseudo-Nathanaël ex articulo primo, capituli III, partis III « *Palinodiae* ». <sup>47</sup>

Hic articulus ponitur a Zacharia Kopystenskyj contra argumentationem Leonis Kreuzza, asserentis consuetudinem Ecclesiae Ucrainorum Alboruthenorumque, vi cujus illa oboendentiam patriarchae exhibuit, vim suam amisisse ab illo tempore, quo nexus patriarcharum Constantinopolitanorum cum Sede Romana interruptus est. <sup>48</sup>

illic summis laudibus celebrantur, deducere licet, auctorem narrationum aliquem Graecum fuisse et probabiliter Theodosium Graecum (cfr. Introductio, p. 2); cfr. GOLUBINSKYJ, *o.c.*, p. 105, 860; I. OHLJENKO, *Ukrajinska Cerkva*, I, Pragae 1942, p. 64-68.

<sup>47</sup> RIB, IV, col. 1070-1075; Cfr. E. KALUŽNIACKIJ, *o.c.*, p. 6.

<sup>48</sup> Cfr. A. IŠČAK, *o.c.*, p. 224.

## Art. IV. — De Unione Berestensi.

Etsi in duobus antecedentibus capitibus « *Libri de fide* », quae auctoritatem Ecclesiae Constantinopolitanae super Ecclesiam Ucrainam demonstrabant, implicite jam contra Unionem disserebatur, magis tamen contra Unionem in capitibus 22, 23, 24, 25, 27 disceptatur.

I. « *Vera descriptio apostasis a sancta Orientali Ecclesia sic dictis Unitis* » (cap. 23, f. 203-217).

Antequam ad propriam descriptionem pervenit, Pseudo-Nathanaël aliquam introductionem habet. Inprimis ipse duas citationes ex Sacra Scriptura refert, nempe: « Spiritus autem manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris et doctrinis demoniorum (I Thim. IV, 1-2), et « habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes » (II Thim. 3, 5).

Deinde animadvertit: qui ratione utuntur, verba illa in Unitis expleri vident; quia ipsi fidem orthodoxam, catholicam, unicam, quam « Christus e coelo apportavit » dereliquerunt et in servitum Papae sese redigerunt.

Ut historia tamen Unionis « pulvere silentii non conspergeretur et immemor non sit » ipse<sup>49</sup> describere illam sibi proponit.

Unio non est nisi criminosa actio quinque episcoporum ucrainorum alboruthenorumque una cum sexto—metropolita. De cetero Pseudo-Nathanaël repetit ea, quae jam antea locutus est Vyšenskyj et auctor « *Admonitionis* ».

Arripit tamen hanc occasionem, ut principalem causam Unionis in fuga poenae, quae a patriarcha Jeremia, anno 1585 Ucrainam visitante, maxime Cyrillo Terleckyj, episcopo Luceoriensi, comminata fuit ob ejus crimina, bigamiam nempe, incontinentiam, occisiones et avaritiam, consistere affirmaret. Etiam Hypatio Potij non pepercit. Ipse enim secundum auctorem nonnisi « indignus episcopus », « blasphemus » et « calvinus » est.<sup>50</sup>

II. *Aliqua signa illegitimitatis Unionis (caput 24, f. 218-224).*

Ad hanc quasi descriptionem Unionis terminandam, Pseudo-Nathanaël, ut dissidentibus ostenderet in quo proprie apostasis

<sup>49</sup> L.F., f. 230v.

<sup>50</sup> L.F., f. 211.



episcoporum consisteret, textum professionis fidei illorum in manibus Papae Clementis VIII exhibitae in principio capitis 24 inseruit.<sup>51</sup>

Tandem in eodem capite<sup>52</sup> diversa facta, quae illegitimitatem Unionis probare deberent, enumerat:

1. Tempore celebrationis Missae, vinum ab Unitis ad Eucharistiam conficiendam adhibitum in aquam mutatum est.

2. Metropolita Rahoza (cujus tempore Unio facta est) adhuc vivens, tamquam mortuus apparebat miserabiliterque, diversas disperatas voces antea emittens, vitam finivit.

3. Hypatius Potij, ante mortem in terrorem conjectus, vociferans, mortuus est.

4. Germanus, episcopus Polocensis, similiter ac episcopus Cholmensis usque ad finem vitae in potestate diaboli fuit.

5. Episcopus Hohol Pincensis, uti oculati testes enarrant, modum in bibendo excedens, cervicem sibi fregit.

6. Cyrillus Terleckyj, episcopus Luceoriensis, homicida et fornicator, adhuc vivens, nasum perdidit et sicuti alii de vita exiit.

Finem enarrationi ponens, Pseudo-Nathanaël, ad lectorem sese convertens, dicit: « Oportet Orthodoxis ea omnia prae oculis habere, quia Dominus Deus terribilis mirandusque in operibus suis est, ipse unicuique secundum ejus opera remunerat ».<sup>53</sup>

Ad capita 23 et 24 exaranda auctor noster operibus polemistarum anteriorum usus est. Ex « *Palinodia* » pauca sumit, id est aliqua ex speciali excursu de patriarcha Jeremia, quem excursum Zacharia Kopystenskyj in fine articuli I, capitis II, partis tertiae posuit.<sup>54</sup> De miraculo tempore Missae scripserunt Vyšenskyj (cfr. p. 47) et Georgius Rohatyneć in sua « *Admonitione* ».<sup>55</sup> Ergo ab istis Pseudo-Nathanaël narrationem illam compilare potuit, ceteroquin haec fantasiosa narratio in Ucraina et Alboruthenia sat divulgata erat.

Totam autem « *historiam* » de misero fine auctorum Unionis, praeter Hypatium Potij, ut multae similitudines in expressionibus suadent, Pseudo-Nathanaelem ex « *Threnos* » Meletii Smotryckyj compilasse videtur.<sup>56</sup>

Professionem autem fidei, quam Potij et Terleckyj die 23 decem-

<sup>51</sup> L.F., f. 219-222v.

<sup>52</sup> L.F., f. 223-225.

<sup>53</sup> L.F., f. 224.

<sup>54</sup> RIB, IV, col. 1054-1070.

<sup>55</sup> C. STUDYNSKYJ, *Perestoroha*, o.c., p. 126-127.

<sup>56</sup> Hoc habet Smotryckyj in sua locutione ad Hipatium Potij; *Threnos*, f. 75-76; cfr. C. STUDYNSKYJ, o.c., p. 129, n. 1. De valore autem *Threnos* ita exprimitur ipse Smotryckyj: « invenies in fundamento ejus odium, in parietibus errore, in tecto calumniam »; *Apologia*, p. 61.



bris anno 1595 in manus Papae Clementis VIII emiserunt, noster auctor, ut ipse dicit,<sup>57</sup> ex annalibus Baronii excerpit.<sup>58</sup>

Inclinatio autem ad miracula, cujus exemplum supra vidimus, sat diffusa saeculo XVII in Ucraina et Alboruthenia erat et quidem in omnibus classibus societatis. Haec vera inclinatio a protestantibus originem suam ducit.

In vita priorum reformatorum apparitiones demoniorum et angelorum admodum magnam partem habebant. Huic influxui etiam populi, praedicationes protestantium audientes, obnoxii erant, deinde et scriptores hujus temporis illis tendentiis favebant.

Sub influxu scriptorum occidentalium in Ucraina et Alboruthenia jam a fine saec. XVI hae tendentiae in scripta auctorum penetrare incipiunt et saeculo XVII amplissimam evolutionem assecutae sunt. Proinde non raro tamquam arma ad Unionem debellandam extiterunt. Notum est e.g. quod auctor « *Admonitionis* » apparitionem stellae crintae (cometes) tamquam in poenam Unionis considerat.<sup>59</sup>

Praecipuus autem fautor istius mystico-superstitiosae tendentiae inter polemistas anticatholicos s. XVI et XVII Joannes Vyšenskyj considerandus est.

### III. Cur Unio Berestensis actio mala est?

Huic quaestioni Pseudo-Nathanaël in capite 25 (f. 226-232) respondere sibi proposuit. Unio non est actio bona, quia:

1. Auctores Unionis sunt apostatae a fide, quam exposuit S. Athanasius Alexandrinus.

2. Uniti scissionem in Ecclesia Catholica et Apostolica fecerunt.

3. Uniti dereliquerunt patriarchas, a Deo sibi datos.

4. Unionem Berestensem non amor erga Romanum Pontificem, sed peccata et crimina Cyrilli Terleckyj, dolus Jesuitarum promissionesque dignitatum in senatu causarunt.

5. Vera Unio non nisi tunc perfici posset, cum Latini ad fidem Ecclesiae Orientalis, errores deponentes, converterentur. Errores vero Latinorum sunt: « Filioque », azyma, Communio sub una tantum specie, differentiae in Sacramento confirmationis, primatus Papae, non acceptatio omnium canonum conciliorum oecumenicorum, jejunium non secundum morem Graecorum, purgatorium, usus linguae latinae in liturgia et aliae similes novitates. Papa autem, sub cujus pontificatu Unio in hoc sensu ad effectum deduceretur, liber ab excommunicatione esset et ut sanctus promulgaretur.

<sup>57</sup> L.F., f. 217v.

<sup>58</sup> Cfr. A. THEINER, *Vetera Monumenta Poloniae et Lithuaniae historiam illustrantia*, vol. III, Romae 1863, p. 238, 240; E. LIKOVSKI, *Unia Brzeska*, Poznaniae 1896, p. 403-407.

<sup>59</sup> Cfr. C. STUDYNSKYJ, *o.c.*, p. 129-30; I. FRANKO, *Ivan Vyšenskyj, o.c.*, p. 223-231.

In statu tamen hodierno, sub auctoritate scilicet Romani Pontificis esse, nihil aliud significat nisi perditioni aeternae sese exponere, quia:

1. Papa non est Pastor universalis; secundum enim doctrinam Patrum, qui vult praerogativa pastoris universalis gaudere, praecursor Antichristi est;

2. Papa fidem septem conciliorum oecumenicorum non servat;

3. Rus' non Papae, sed patriarchae Constantinopolitani est provincia;

4. Deserere proprium pastorem proditioni Judae aequiparatur;

5. Episcopi Urbis Romae a patriarchis sunt excommunicati, propterea, qui cum eis communionem habent, detrimentum animae patiuntur (Can. 2 Sard., 10 Apost., 2 Ant.).

Econtra, in oboedientia patriarchae permanere magnum est bonum, quia:

1. Patriarcha tamquam columna verae sanctae, apostolicae Ecclesiae est;

2. Patriarcha servat traditionalem fidem et sacramenta;

3. Patriarcha Rus' baptizavit, proinde Rus' ei jure divino, ecclesiastico et humano subiecta est.

Hoc caput etiam ex « *Palinodia* » compilatum est (Pars IV, cap. I art. 2;<sup>60</sup> pars III, cap. IV, art. 2.<sup>61</sup> pars III, cap. IV, art. 1).<sup>62</sup>

Dispositionem autem materiae istorum articulorum Zachariae Kopystenskyj Pseudo-Nathanaël non sequitur, sed libere in hac materia se gerit.

*IV. Unitorum ad Ecclesiam Orthodoxam redeundi excitatio* (cap. 22, f. 195v-202; cap. 27, f. 236v-238v).

Unitis, si a Sede Romana deficere et ad patriarcham redire velint, Pseudo-Nathanaël demonstrare vult, hoc sine timore excommunicationis Papae facere posse, quia Papa non est iudex omnium et proinde ejus excommunicatio invalida esset. En ejus argumentum:

Vana est locutio asserentium Papam supremum iudicem omnium esse et ipsum a nemine umquam iudicatum fuisse. Etenim factum historicum est, episcopos Romae synodaliter et separatim a patriarchis Orientalibus excommunicatos et depositos fuisse, immo notum est quod Michaël Caerularius totam Ecclesiam Occidentalem anathematezavit.

Negandum non est episcopos Orientales anathemizatos a Papa fuisse, sed eorum anathema nihil impedit, quia Ecclesia Orientalis

<sup>60</sup> RIB, IV, col. 1112-1117.

<sup>61</sup> RIB, IV, col. 1083-1085.

<sup>62</sup> RIB, IV, col. 1081-1083; cfr. E. KALUŽNIACKIJ, *o.c.*, p. 7.

synodaliter regenda est et regimen monarchicum non admittit. Ad excommunicationem Papae ex parte patriarcharum et in specie Michaelis Caerularii quod attinet, illam sine dubio validam esse, cum ipsa propter defectionem Papae a fide inflictam sit.

Proinde Uniti, si ad legitimum patriarcham redire velint, sine timore excommunicationis Papae, quae invalida esset, hoc faciant.<sup>63</sup>

Ut adhuc magis magisque Unitos de « aberrationibus » Latinorum persuaderet, Pseudo-Nathanaël in « *Libro de fide* » cap. 27, de modo quo patriarchae Ecclesiam Latinam purificabant et de scandalis, quae in sinu Ecclesiae Romanae locum habebant, disseruit.

Multi doctores orientales Ecclesiam Latinam ab haeresibus purgaverunt. Inter hos praesertim notandi sunt: Polycarpus Smyrnensis, Lazarus confessor (tempore schismatis iconoclastici), Genadius et Tarasius patriarchae Constantinopolitani (quaestio de simonia). Cum Latini ab Ecclesia Orientali deficere coepissent, multi Graeci, ut Petrus et Theodosius Antiocheni, Photius et Michaël Caerularius episcopos Romae hortati sunt, ut in unitate antiquae fidei manerent.

Post hoc, notitias ex Barlaamo Calabro, Nilo Cabasila, ex Platina aliisque haustas, auctor scandala, quae in Ecclesia Romana fuerunt enarrat. Notanda sunt exempli gratia: magia Papae Coelestini et Sylvestri II, simonia et rapinae Vigilii, ludibrium Stephani VII super cadaver Formosi, porrectio veneni cum Hostia Henrico imperatori, narratio de papissa Joanna (secundum Cromerum, lib. 11, o.c., p. 189).

Hoc caput « *Libri de fide* » Pseudo-Nathanaël quoque ex « *Palinodia* » compilavit.<sup>64</sup>

Haec de tractatibus indolis historicae, in majore parte ex « *Palinodia* » Zachariae Kopystenskyj exscriptis vel compilatis, dicere sufficit. Insuper notamus, ea, quae exposuimus tamquam summam argumentorum contra primatum Romani Pontificis dissidentium primae periodi polemicae de Unione considerandam esse.

De valore autem illorum argumentorum sufficit audire A. Palmieri: « Ad scriptores autem arthodoxos (hujus periodi) quod attinet, tot argumenta licentius conficta, tot testimonia ex puditis fontibus derivata, tot sphalmata historica, tot concinnati animi invectivae apud eos reperiuntur, ut opera abuteretur, qui ea serio refellere sibi in animum induceret... ».<sup>65</sup>

His expositis ad tractatus indolis ecclesiologicae accedimus.

<sup>63</sup> Caput hoc etiam a Pseudo-Nathanaele ex « *Palinodia* » compilatum est (pars II, cap. VII, art. 3, RIB, IV, col. 661-667; IBIDEM, art. 4, RIB, IV, 666-670; cfr. A. IŠČAK, o.c., p. 89-90; E. KALUŽNIACKIJ, o.c., p. 7.

<sup>64</sup> « *Palinodia* », pars II, cap. II, art. 6, RIB, IV, col. 560-563; cfr. A. IŠČAK, o.c., p. 78-9; « *Palinodia* », pars II, cap. XII, art. 8, RIB, IV, col. 932-940; cfr. A. IŠČAK, o.c., p. 104; E. KALUŽNIACKIJ, o.c., p. 7.

<sup>65</sup> *Theologia Orthodoxa*, t. 1, 796-797.

CAPUT III  
ANALYSIS TRACTATUUM  
INDOLIS ECCLESIOLOGICAE

ART. 1: DE UNICA VERA FIDE DEQUE UNICA ECCLESIA ORIENTALI. —  
ART. 2: DE PRIMATU ROMANI PONTIFICIS.



### CAPUT III

#### ANALYSIS TRACTATUUM INDOLIS ECCLESIOLOGICAE

##### Art. I. — De unica vera fide deque unica Ecclesia Orientali (cap. I, f. 10-15; cap. II, f. 16-29v)

I. — DE ECCLESIA HIERSOLYMITANA. — In capite primo « *Libri de fide* » Pseudo-Nathanaël demonstrare vult unicam veram fidem eam esse, quae ex Hierosolymis originem ducit.

In primis auctor paucis verbis, per modum introductionis revelationem Veteri (Is. 2,3; Mich. 4,2) et Novi Testamenti (repetit omnia facta biblica a Nativitate usque ad Resurrectionem D. N. J. Christi) Hierosolymis peractam esse demonstrat, deinde doctrinam de fide Hierosolymitana ita exponit:

Spiritus Sanctus super Apostolos Hierosolymis descendit et ipse legem gratiae Hierosolymis promulgavit Apostolosque edocuit iussitque in universum orbem terrarum veram doctrinam disseminare ipseque et hodie in Ecclesia Sion Dominus est (Ps. 143, 21). Ecclesia Hierosolymitana mater omnium Ecclesiarum est, quoniam ex illa in omnes orbis terminus Evangelium, baptizma et fides diffundi coepit (Ac. Ap. capp. 15, 18, 21; Rom. cap. 15; I Cor. cap. 16). Auctoritas Hierosolymiae terrestris augetur adhuc ex facto, quod Beata Maria Virgo ibi vivebat et dormitionem prosecuta est et insuper, quod in eadem civitate Jacobus, frater Domini, per impositionem manus ipsius Christi in episcopum ejusdem civitatis consecratus est. De Hierosolyma terrestri tamquam de centro Christianismi plures scriptores ecclesiastici scribebant, ut: Damascenus (*Carmina et cantica in Pascha*), Theodoretus (*Hist. Eccl.*, liber 5, cap. 5.), Nicephorus (*Historia Eccl.*, lib. 16, cap. 34), S. Athanasius, qui dixit: « salutaria et veneranda Christi passionum loca catholicae orthodoxae nostrae fidei et Ecclesiae a Deo donata sint et credita nempe: Nazareth, ubi Christus habitavit in nobis, Bethlehem, ubi secundum carnem natus est; Sion, ubi salutem mundo operatus est ».<sup>1</sup>

Post talem argumentationem contra eos, qui veram fidem Romae fundatam esse dicunt, ex eo quod ab antiquitate Roma centrum Eccle-

---

<sup>1</sup> Ibi revera agitur de *Responsionibus* Pseudo-Athanasii ad Antiochum principem, Responsio XLIV; cfr. PG, 28, col. 626.

siae fuit, Pseudo-Nathanaël probare conatur Hierosolymam semper centrum Christianismi fuisse. En ejus argumenta: 1. Verba prophetae: « Quoniam elegit Dominus Sion... (Ps. 131, 13-14); 2. Mater Constantini Helena plures ecclesias Hierosolymis aedificavit; 3. Potissimum autem veritatis hujus testimonium ipse Deus usque hodierna tempora per miraculum exhibet. Etenim quotannis die Sabbati Sancti, orante patriarcha Hierosolymitano una cum fidelibus orthodoxis, miraculosa lux coelestis accendit candelas in cappella Sancti Sepulchri.

In fine capituli exhortatur Pseudo-Nathanaël Orthodoxos, ut sciant se filios Ecclesiae Sion esse, proinde fidem Ecclesiae Hierosolymitanæ servare ipsi debent, attendentes quod ibi etiam secundus adventus Christi erit.

II. — DE ECCLESIA ORIENTALI. — Postquam auctor « *Libri de fide* » « demonstravit » veram fidem ab Ecclesia Hierosolymitana originem habere, in capite secundo probare vult, hanc fidem in Ecclesia Orientali, non obstante persecutione Turcarum, integre servari.

Materiam autem capituli in tres partes dividit. In prima *unicam* Christi Ecclesiam esse probat; in secunda, de ejus *gloria agit*; in tertia, demum, de *persecutione* Ecclesiae sermonem habet.

1. — *Unicam Ecclesiam esse*, id est Ecclesiam Orientalem probat Pseudo-Nathanaël citationibus Sacrae Scripturae, una cum explicationibus Patrum. Argumenta ex V. T. sunt: Canticum canticorum (6,8), Esdra (lib. 4 cap. 5 vers. 25, 26), Ps. 67,27 cum explicatione Theodreti<sup>2</sup> et Cyrilli Alexandrini.<sup>3</sup> Ex N. T. autem citat: Jo 17, 11; I Cor; Heb 1, 2; 22, 23 et Apocalipsim, cum explicationibus Andreae, Caesariensis episcopi.<sup>4</sup>

2. — Variis quoque citationibus S. Scripturae et Patrum *gloriam Ecclesiae demonstrans*, Pseudo-Nathanaël animadvertit, hanc gloriam solummodo Ecclesiam Orientalem respicere, et non Ecclesiam apostatarum (Catholicorum), qui secundum testimonium prophetae David (Ps. 25) atque secundum canonem 10 Apost.<sup>5</sup> in odio habendi sunt.

3. — In parte tertia hujus capituli noster auctor cupit demonstrare, quod « Ecclesia *ab initio persecutionem patitur* attamen victa non est ».<sup>6</sup>

Post brevem quasi introductionem, quae citationibus Sacrae Scripturae (Mt. 16,18; Jo 18,36 aliisque) constat, demonstrare in primis contendit innocentes justosque semper in angustiis versare, prout exempla Abel, Noë, Abraham, Lot, Isaaci, Jacobi, Josephi, Israelitarum in Aegypto, David, Eliae, Maccabaeorum, ipsius Christi, Apostolorum

<sup>2</sup> Cfr. PG, 80 col. 1391.

<sup>3</sup> Cfr. PG, 69 col. 1155.

<sup>4</sup> Cfr. PG, 106 col. 222-223, 263, 283, 426.

<sup>5</sup> *Can. Apost.* sic sonat: « si quis cum excommunicato, saltem in domo simul oraverit, communionem privetur ».

<sup>6</sup> *L.F.*, f. 22.

atque demum primorum Christianorum docent. Haec enim est unica via ad salutem, haec est vera via Christi. Proinde veri Christiani Christum imitare debent.<sup>7</sup>

Post hanc demonstrationem noster Pseudo-Nathanaël stylo polemico contra Catholicos agit. Catholicis, ait auctor, asserunt Graecos eo quod in servitute turcarum sunt, fidem orthodoxam, quae in felici Ecclesia Catholica invenitur, non servare.

Ante omnia tamen dicit ipse, felicitas Ecclesiae Catholicae non nisi « felicitas epicurea est ». « Solummo sancta Ecclesia Orientalis, id est Graeca, via recta, via regali, etsi angusta, sed a Jesu Christo Deo et Salvatore nostro ejusque veris vicariis patefacta, nec dextrorsum nec sinistrorsum devians, ad supernam Hierosolymam filios suos ducit ».<sup>8</sup> Non Ecclesia Romana, sed Ecclesia Orientalis scrupulose doctrinam Christi ejusque Apostolorum, Traditionemque Patrum et decreta conciliorum servat et « tamquam sol unico radio veritatis et orthodoxae fidei, etsi in jugo servitutis, respundet »,<sup>9</sup> prout Patriarcha Meletius Pigas, in epistola ad populos Ucrainae et Alborutheniae (1597) refert.<sup>10</sup> Hoc etiam olim Patres Orientales et Occidentales affirmabant (Joannes Chrysostomus, *Homilia 23*, Augustinus, *Sermo de omnibus Sanctis*, et alii) dicentes, eam Ecclesiam esse veram quae persecutionem patitur et non illam, quae tamquam vexator et ipsa se monstrat.

In hoc finis capitis secundi « *Libri de fide* » ponitur. Haec sunt principia et argumenta Pseudo-Nathanaëlis de unica fide et unica Ecclesia Orientali.

III. - QUaedam animadversiones. — Ante omnia notandum est auctorem « *Libri de fide* » potius verbis Sacrae Scripturae loqui, quam argumentare, etenim ita abundanter utitur citationibus S. Scripturae, ut finis argumentationis quasi absconditus sit. Qua ratione legenti ejus tractatus non tam facile iudicium esse potest, quid sibi Pseudo-Nathanaël revera vult.

Notum est omnibus, quod nemo Catholicorum negavit hanc certissimam veritatem i. e. religionem christianam Hierosolymis quam maxime a Christo revelatam et ex illa civitate ubique terrarum propogatam esse. Proinde inepta est divisio fidei in hierosolymitanam et aliquam aliam. Videtur auctorem confundere fidem cum Ecclesia, cujus regimen Christus Beato Apostolo Petro dedit et quam ipse per suos legitimos successores nomine divino et auxilio nexos veritates, a Christo traditas, servantes infallibiliter regit.

Quoad primum caput sine ulla difficultate inconsequentia Pseudo-Nathanaëlis relate ad tractatus historicos manifestatur; in quibus

<sup>7</sup> L.F., f. 21-21v.

<sup>8</sup> L.F., f. 27-28.

<sup>9</sup> L.F., f. 28.

<sup>10</sup> Cfr. supra, p. 40.



vidimus ipsum nihil de primatu Sedis Hierosolymitanæ dicere, sed Sedem Constantinopolitanam pluries summis laudibus celebrare.

Ad caput autem secundum quod attinet, asserrimus illud sine dubio scopum polemicum habere. Dirigitur nempe contra Petrum Skarga<sup>12</sup> et Leonem Kreuzæ,<sup>13</sup> qui disserebant interitum imperii Byzantii plagam, qua Graeci propter suum schisma a Deo poniuntur, esse.

Quid dicendum est de fontibus horum capitum? In primis notamus, Pseudo-Nathanaëlem nihil de fontibus ab ipso adhibitis dicere. Comparatione tamen primi capituli « *Libri de fide* » cum primo capite<sup>14</sup> libri Basilii Surazskij instituta, pro certo habendum est, Pseudo-Nathanaëlem multa ex libro Basilii Surazskij sumpsisse, cum argumentum utriusque capituli idem sit. Attamen expositio Basilii magis ordinata quam Pseudo-Nathanaëlis est.<sup>15</sup> Insuper probabile est, Pseudo-Nathanaëlem in capite primo exarando opere Joannis Vyšenskyj « *Brevis notitia de latinis incantamentis* » uti potuisse, et praecipue in quaestione « *De Ecclesia antiquiori et principaliori* », ubi Vyšenskyj demonstrat, Ecclesiam Hierosolymitanam fontem et radicem et Ecclesiam Romanam solummodo rivulum vel ramum esse.

Narratio tamen de miraculosa accensione candellarum in capella Sancti Sepulchri sat diffusa erat in terris Ucrainæ hoc tempore et cuius origo in opere « *Peregrinatio Hegumeni Danielis* » (saec. XII) habetur.<sup>16</sup>

Quod duas primas partes capituli secundi respicit, videtur auctorem propriam mentem exprimere, hoc scilicet sensu quod non compilavit illas ex aliis operibus polemistarum anteriorum. In tertia parte hujus capituli, demum, nihil novi noster auctor refert, sed repetit, etsi suo modo, ea quae jam antea dixerunt Basilius Surazskij,<sup>17</sup> Joannes Vyšenskyj,<sup>18</sup> Clericus Ostrogensis,<sup>19</sup> Martinus Bronskij,<sup>20</sup> nec non ipse Zacharias Kopystenskyj.<sup>21</sup>

## Art. II. — De Primatu Romani Pontificis

Argumenta historica contra primatum Romani Pontificis Pseudo-Nathanaëlis nota sunt nobis ex analysi tractatuum indolis histo-

<sup>12</sup> Cfr. P. SKARGA, *O jedności Kosciola*, Cracoviae 1885 p. 187.

<sup>13</sup> Cfr. L. KREUZÆ, *Obrona*, pars. II, cap. 10, 11, 12; RIB, IV, col. 209-219.

<sup>14</sup> RIB, VII, col. 636-651.

<sup>15</sup> De hoc tractatu Basilii vide DIAČYSYN, P., *De Basilio Suracensi prout theologo et polemista anticatholico*, Romae 1944, p. 28-35.

<sup>16</sup> De hoc miraculo videas M. JUGIE, *o.c.*, IV, p. 557.

<sup>17</sup> RIB, VII, col. 649, 785-787.

<sup>18</sup> I. FRANKO, *o.c.*, p. 185-186.

<sup>19</sup> RIB, XIX, col. 418.

<sup>20</sup> RIB, VII, col. 1568-1585.

<sup>21</sup> RIB, IV, col. 820-833.

ricae. Specialem dissertationem sub aspectu dogmatico de primatu ipse in capitibus 7, 8, 19, et 20 habet. Ibi quadruplici ratione primatum episcopi Urbis Romae negat, nempe, quia: 1. Secundum Sacram Scripturam ipse Christus est Caput, Pastor, Pontifex et Fundamentum Ecclesiae; 2. Secundum S. Scripturam omnes Apostoli aequalem potestatem habent; 3. Secundum S. Scripturam potestas episcopi Urbis Romae limitata est, et 4. Potestas patriarcharum aequalis cum potestate Romani Pontificis est. Claritatis gratia has quaestiones in quatuor sectionibus tractabimus.

I. - DE CHRISTO CAPITE, PASTORE, PONTIFICE ET FUNDAMENTO (cap. 7, f. 55-60).

Hoc caput scopum habet, secundum scholastico-positivam methodum, probare, non quidem Petrum, sed Christum munere Capitibus, Pastoris, Pontificis et Fundamenti in Ecclesia fungere.

En argumenta scripturistica Pseudo-Nathanaëlis:

1. - *Unicum caput Ecclesiae est Christus*: - Major pars argumentorum solis et simplicibus citationibus constat, nempe: Apoc. 1, 8; Col. I, 15, 16; Heb. 1, 3; Jo. XIV, 6, 9, 10; Mt. 28, 20; Eph. 1, 12; 4, 15; Col. 1, 18.

Contra illos, qui dicunt Christum esse solummodo Caput invisibile in coelo et in terra visibile esse oportet, inducit testimonium Andreae Caesariensis: « quam superna illa Jerusalem consequentur; quae ex virtutibus corporis expertibus exorta, usque ad homines descendit (unumque est et appellatur corpus), eo quod Christus Deus et Dominus noster commune utriusque sit Caput ».<sup>22</sup>

In fine Pseudo-Nathanaël vehementer asserit, quod simplex homo scit in uno corpore duo capita esse non posse.<sup>23</sup>

2. - *Unicus Pastor Ecclesiae est Christus*: - Argumenta quasi solis citationibus constant: Jo. 10, 14; Is. 40, 11; Ez. 23, 1-6 Ez. 34, 23.

3. - *Unicus Pontifex Ecclesiae est Christus*: - Argumenta: Hebr. 4, 14; 8, 3-6 et verba Macarii Aegyptii: « hic vero verus pontifex Christus semel ingressus est in non manufactum tabernaculum et supernum altare, promptus ad purgandum eos, qui postulant ab eo ».<sup>24</sup>

4. - *Unicum Fundamentum Ecclesiae est Christus*: - Argumenta: Is. 26, 16; I Petri 2, 6-8; I Cor. 3, 11; Mt. 21, 42; Ac. A. 4, 11. Inde concludit noster auctor: « omnis cognoscere potest, Christum

<sup>22</sup> ANDRAEAE CAESAR., *Commentarium in Apocalypsim Sermo XXIII*, cfr. PG. 106, col. 426A.

<sup>23</sup> L.F., f. 57.

<sup>24</sup> S. MACARII AEGYPTII, *Homilia 32*; cfr. PG, 34, col. 735 D.

Salvatorem fundamentum et lapidem angularem esse et fideles super illum aedificari, prout S. Apostolus Paulus testimonium exhibet (Eph. II, 20, 21) ».

II. - TESTIMONIA S. SCRIPTURAE DE AEQUALITATE POTESTATIS APOSTOLORUM (cap. 8, f. 60v-66v).

In hoc capite auctor probare conatur, quod omnes Apostoli aequalem potestatem directe a Christo acceperunt omnesque jurisdictionem in totam Ecclesiam habebant et Beatus Petrus nihil plus prae ceteris obtinuit.

In primis modo, dixerim generico, probat aequalitatem potestatis omnium Apostolorum multis citationibus S. Scripturae, ut: Mt. 28, 19; Mc. 16, 15; Jo. 20, 21-23; Ac. Ap. cap. 2; Apoc. 12, 1; 21, 14 (cum interpretatione Andrea Caesariensis).<sup>25</sup>

Deinde enumerat auctor proprietates communes omnium Apostolorum; omnes Apostoli aequaliter sunt: fundamentum Ecclesiae, refugium (pristanyšce), magistri universales, pastores, operarii Christi, domini Vineae et medici.

Post hoc concludit, quod « Christus Dominus nullum principem pastorum instituit, nec Apostoli inter se aliquem, praeter Christum superiorem agnoscebant », <sup>26</sup> quod praxi primaevae Ecclesiae comprobatur.

Supra dictas affirmationes nova serie argumentorum ex Sacra Scriptura desumptorum, speciali attentione ad Petrum habita, denuo probat: In Evangelio (Mt. 18, 17) dixit Christus... « quod si non audivit eos dic ecclesiae... »; non dicit Dominus: dic Petro, sed Ecclesiae; « Petrus enim in Ecclesia, non ipse Ecclesia est ». <sup>27</sup> Cum filii Zebedaei, Jacobus et Joannes, Christo Domino desiderium proprium, ut ipsi in gloria ad dexteram et sinistram ejus sederent, exprimerent, dixit Christus: « quicumque voluerit fieri major, erit vester minister » (Mc. 10, 43-44: cfr. Lc. 22, 24-26). In electione Mathiae et septem diaconorum, non solus Petrus, sed omnes Apostoli partem habebant (Ac. Ap. 1, 23-26; 6, 1-7). Item in actibus Apostolorum (VIII, 14) legimus Petrum una cum Joanne in Samariam missum fuisse; atqui Superior mittit, non mittitur. In concilio Hierosolymitano (Act. XV, 6-30) quanquam Petrus primus omnium sermonem faceret, attamen Jacobus primas tenebat. <sup>28</sup> Quod Petrus non fuit princeps supremus Apostolo-

<sup>25</sup> Cfr. PG. 106, col. 319, 431C.

<sup>26</sup> L.F., f. 61v.

<sup>27</sup> IBIDEM.

<sup>28</sup> De hoc loquens, animadvertit quoque Pseudo-Nathanaël, in Actibus etiam sermonem esse de « fratribus, qui in Ecclesia partem habent » additque citationes ex operibus Theophylacti Bulgari et Jannis Chrysostomi: « Notandum est neque Jacobum, neque Petrum ausos esse sine consensu totius Ecclesiae

rum, ipse S. Paulus testimonium exhibet (Gal. 2, 11; Eph. 4, 11).

Post haec, dixerim, argumenta positiva, quibus potestatem Petri aliis communem verbis Sacrae Scripturae probare conatus est, peruenit Pseudo-Nathanaël ad oppugnandum primatum Petri via negativa, scilicet textus evangelicos de praeeminentia Petri ita interpretat, ut in eis notio primatus evanescat. Textus illi sunt: 1. Verba Christi: « Tu es Petrus... » (Mt. 16, 18); 2. « Pasce oves meas... » (Jo. 21, 15-17); 3. Oratio Christi pro Petro (Lc 22, 31-32).

1. - *Mt. 16, 18*: - Interpretatio verborum: « super hanc petram », dicit Pseudo-Nathanaël, quadruplex esse potest: 1. Petra quisque fidelis intelligitur; 2. Petra personam Petri una cum Apostolis respicit; 3. Petra, super quam Ecclesia aedificata est, ipse Christus est; 4. Denique, Petra-fides seu confessio Petri est. Ipse tamen auctor, ut conicere possimus, quartam tenet interpretationem. Etenim ipse ad confirmandam hanc sententiam testimonium Theophylacti Bulgari adducit: « haec confessio, quam confessus est, fundamentum erit futurum credentium, ita ut omnis homo exstructurus fidei donum, hoc jacturus sit fundamentum ».<sup>29</sup>

Christus tamen, notat auctor, haec verba pronuntians, Petro claves non tradidit, sed postea hoc fecit, quando, nempe, ad omnes Apostolos dixit: quorum remiseritis peccata, remittentur eis... (Jo. 20, 23), quia claves « Petro sunt promissae et omnibus aequaliter consignatae ».<sup>30</sup>

2. - *Jo. 21, 15-17; Lc. 22-31-32*: - Ad textus Joannis quod attinet, dicit Magistros Ecclesiae Occidentalis illos ad omnes episcopos referre.

Quando de textu Evangelistae Lucae agitur, videtur ibi Christum pro Petro orasse, ut ei efficacem poenitentiam post ejus trinam negationem impetraret. En interpretatio Theophylacti Bulgari: « Tu enim, Petre, conversus bonum exemplum poenitentiae eris omnibus, ut nullus credentium in te respiciens desperet ».<sup>31</sup>

decernere »; cfr. PG. 1, 25, col. 719D. « Vide autem quomodo Petrus omnia ex communi sententia facit, nihilque cum auctoritate vel cum imperio ». « Perpende item apostolorum concordiam, quomodo Petro cesserit concionandi officium: neque enim oportebat omnes simul loqui »; cfr. PG. 60, col. 34, 46.

<sup>29</sup> *Enarratio in Matthaeum*, cap. XVI, 18; PG 123, col. 319 B.

<sup>30</sup> *L.F.*, f. 65.

<sup>31</sup> Cfr. PG, 123 col 1974. Nihil tamen dicit Pseudo-Nathanaël de hoc quod idem Theophylactus ita prosequitur in sua explicatione: « qui cum apostolus fueris et negaveris, iterum tamen receperis primatum omnium ». Supra autem idem Theophylactus haec verba habet: « Planus hujus intellectus est. Quia te habeo ut principem discipulorum, postquam, negato me, fleveris et ad poenitentiam veneris, confirma coeteros »; *ibidem*.

Proinde, concludit auctor, hanc ob rationem quod neque Theologi Orientales, nec Occidentales agnoscebant aliquem Apostolum superiorem aliorum, ergo, nec quis alius hoc facere debet.<sup>32</sup>

III. DE LIMITATA POTESTATE ROMANI PONTIFICIS (cap. 20, f 177 v-186v).

Nexu logico cum questionibus supra tractatis conjungitur hoc caput « *Libri de fide* », ubi auctor ipsam doctrinam de primatu Romani Pontificis aggreditur. Antequam tamen Pseudo-Nathanaël ad argumentationem contra primatum episcopi Romae procedat, personam ejus insectans, asserit eum cum Adamo comparari posse; etenim, sicut Adam, postquam praeceptum Dei transgressus, rejectus est e paradiso terrestri, ita Romanus Pontifex, ob violationem praecepti Christi, rejectus est e paradiso coelesti excommunicatione spiritali. Deinde conclusiones contra primatum Petri, in capitibus 7 et 8 propositas, in hunc fere modum recapitulat: 1. Apostulos Petrus non est princeps Apostolorum; 2. Quod Christus Petro promisit (Mt. 16, 18), hoc omnibus simul Apostolis dedit (Jo. 20, 21); 3. Praeminentiam aliquam personalem Petrus prae aliis apostolis habuit propter singularem amorem erga Christum; 4. Ipse inter Apostolos prout Plato inter philosophos fuit, sed Plato inde non est princeps philosophorum. Ad hoc addit aliquas adhuc citationes ex S. Scriptura, sicut: Jo. 1, 42; Gal. 2, 9; Mc. 16, 7, lotionemque pedum Petro, tamquam ultimo omnium impertitam, affert.

Post talem introductionem, auctor argumenta contra ipsum primatum Romani Pontificis refert:

1. - Romanus Pontifex non est supremum caput Ecclesiae, quia hujusmodi praerogativa neque jure divino (instituto Christi) innitur, neque in conciliorum canonibus fundatur (citatur can. 6 Nicaen., 3 Constant., 28 Chalced., 36 Trullanum).

2. - Quod Romanus Pontifex, ratione Urbis imperialis, primus inter patriarchas recensebatur, hoc non ex institutione divina fuit, sed ex voluntate Patrum. Ad dictam affirmationem confirmandam, per extensum citationem operis Nili Cabasilae « *De primatu Papae* » Pseudo-Nathanaël adducit.<sup>33</sup>

3. - Papa, potestatem aequalem cum ceteris patriarchis habens, nihil in Ecclesia innovare potest, prout a canone 34 Apostolorum praeceptum est.<sup>34</sup>

<sup>32</sup> L.F., f. 66.

<sup>33</sup> Cfr. PG, 149, col. 703, 706.

<sup>34</sup> Sic datus canon 34 Apostolorum sic sonat: « Episcopi cujusque gentis agnoscere debent illum, qui inter eos primas obtinet, et eum habere ut caput, nihilique amplius sine illius sententia agere: singuli autem illa sola faciant, quae parochiae propriae et illis, quae sub ea sunt, competunt; sed nec ille absque

4. - Oppugnatio primatus una cum infaillibilitate Romani Pontificis argumentis ex factis historicis, ex fallibilitate nempe quorundam episcoporum Urbis Romae desumptis, peragitur. Haec argumenta, vel potius accusationes respiciunt: Liberium, cui haeresis Arianorum adscribitur; Marcellinum, quem idolis sacrificasse dicunt; Anastasium, qui in communione cum Haeretico Photino fuit; Hildebrandum, qui haereticus et malefactor fuit; Eugenium, qui tamquam haereticus damnatus est in Concilio Basilaensi et Honorium, qui haereticus monothelita fuit.<sup>35</sup>

Contagium autem morbi eorum procul dubio, concludit Pseudo-Nathanaël, totam Ecclesiam Latinam pervasit. Quod tamquam quid impossibile in Ecclesia Orientali affirmat et quidem hanc ob rationem, quia si vel unus patriarcha in haeresim prolapsus esset, non posset sua vitia communicare toti Ecclesiae, cujus patriarchae sunt solummodo membra nobiliora et supra omnes stat Caput-Christus.

Non negat quidem noster Auctor, quod dant patriarchae Turcis dona et munera, sed hoc, sicut ipse animadvertit, ut pacem Ecclesiae et Orthodoxiam servent; ceteroquin hoc minime a S. Scriptura prohibetur. Suo tempore etiam Romani Pontifices imperatoribus paganis et postea haereticis dona mittebant.

#### IV. DE PATRIARCHIS (cap. 19, f. 172-177).

Caput 19 « *Libri de fide* » quasi corollarium ad quaestionem de primatu Romani Pontificis est. Ibi auctor demonstrare vult, patriarchas aequali protestate ac Romanus Pontifex pollere. Ratio autem unica ad hujusmodi assertum probandum haec est, quod patriarchae Sedes Apostolicas occupant.

Itaque Sedes Constantinopolitana Sedes Apostoli Andreae et Stachyn, de quo Paulus ad Rom. 15, 9 est;<sup>36</sup> Sedes Alexandrina est Sedes Marci Evangelistae; Sedes Antiochena ab Apostolis Petro et Paulo fundata est; Sedes Hierosolymitana est Sedes ipsius Christi;<sup>37</sup> denique de Sede Mosquiensi cum loquitur haec verba solummodo habet: « Ecce patriarcha Magnae Russiae Josephus, gratia Dei patriarcha Magnae et Parvae Russiae et omnium usque ad magnum oceanum ».<sup>38</sup> Ita finis huic capiti ponitur.

---

omnium sententia aliquid agat... ». De authenticitate *Canonis Apostolorum* vide recens studium DIONYSII DOROŽYNSKYJ, *Conspectus fontium juris canonici in primaeva Ecclesia...*, in « Bohoslovia », t. IX (1931), p. 30-47; de canone 34 cfr. JUGIE IV p. 244.

<sup>35</sup> Ad illas accusationes responsionem dedit S. SABOL, *De Meletio Smotryckyj polemista anticatholico, o.c.*, p. 167-181 (ms.).

<sup>36</sup> Citat Pseudo-Nathanaël Nicephorum Callistum, *Hist. Eccl.*, lib. VIII, cap. 6; cfr. PG, 146, col. 27D; et lib. II, cap. 43; cfr. PG, 145, col. 878A.

<sup>37</sup> In ff. 173v, 174-176, refert titulos singulorum patriarcharum.

<sup>38</sup> L.F., f. 176.

## V. ANIMADVERSIONES AD ARTICULUM SECUNDUM.

Ante omnia notamus, nostrum non esse argumenta Ps.Nathanaëlis refellere, quia deberemus huic doctrinam catholicam de primatu Petri et Papae contraponere, quam tamen doctrinam facile apud probatos auctores nostros invenire licet.

Exhibemus proinde nonnullas tantum animadversiones, quae fini nostrae dissertationis magis conveniunt.

1. - In capite 7 « *Libri de fide* » principale argumentum contra primatum Petri consequenterque contra ejus successores Ps.Nathanaël construxit e conceptu Ecclesiae Christi ut corporis Mystici, cujus unice Christus est Pastor, Caput, Pontifex et Fundamentum. Nostrum interest, unde tale argumentum sumat auctor, eo vel magis, quod scimus ipsum potius quam auctorem compilatorem revera esse operis « *Libri de fide* ».

Si oculos ad scriptores graeco-slavicos convertamus, deprehendimus tale argumentum olim ab illis non proferri; immo conceptum Ecclesiae ut Corporis Christi Mystici saeculo XVII apud ipsos minime viguisse.<sup>39</sup> Novum illud argumentum a protestantibus originem suam ducit. Ipsi enim ita doctrinam de Corpore Mystico interpretantur, ut caput invisibile, scilicet Christum, solummodo admittant, visibile autem prorsus negent.<sup>40</sup>

Hoc pacto quoque Meletius Pigas docuit et post illum Nathanaël Chyras aliique.<sup>41</sup>

In Ucraina prima vice hujus argumentationis mentio fit in opere Petri Skarga « *De unitate Ecclesiae...* », ubi auctor, postquam demonstravit supremum pastorem Ecclesiae non esse unicum tantum Christum invisibilem, sed cum Christo etiam vicarium ejus visibilem, haec verba habet: « nemo hic stulta illa haereticorum argumenta proponat... Christum habemus pro unico capite ».<sup>42</sup> Quod tamen argumentum hoc a protestantibus mutuam est haud semel P. Skarga<sup>43</sup> et post illum Hypatius Potij<sup>44</sup> asserunt.

Primus autem ex polemistis anticatholicis in Ucraina, qui argu-

<sup>39</sup> Cfr. M. GORDILLO, *Compendium Theologiae Orientalis*, Romae 1939, p. 72. Photius e.g. vocat Ecclesiam « Christi talamum » et « sponsam », nusquam vero utitur nomine « Corporis Christi Mystici » (*Mystagogia*, n. 75; PG, 102, col. 353; *Epistola ad Michaellem Bulgarum*, n. 20; PG, 102, col. 656).

<sup>40</sup> GRISAR H., *Luther*, Freiburg 1924, t. I, p. 336; De doctrina Corporis Mystici apud Lutherum et Calvinum videas E. MERSCH, *Le Corpus mystique du Christ*, II, Louvain 1933, p. 374-390.

<sup>41</sup> M. GORDILLO, *o.c.*, p. 57.

<sup>42</sup> RIB, VII, col. 275.

<sup>43</sup> IBIDEM, col. 280-1, 287, 292-293.

<sup>44</sup> *Antirhesis*, RIB, XIX, col. 896, 898, 900, 910.



mentum hoc a protestantibus mutuavit, anonymus auctor « *Epistolae ad Latinos ex eorum libris* » fuit, qui, inter alia, haec verba de Romano Pontifice habet: « Subscribit se caput Ecclesiae. Cur autem non membrum ejus sicut docet Paulus? (I Cor., 12, 27). Caput enim Ecclesiae Christus est, sicut scribit Paulus ad Ephesios (4, 15 et 5, 23) ». <sup>45</sup> Idem argumentum apud S. Zizanium invenimus, qui affirmat, quod Christus « ipse solus unicus est visibile caput corporale Ecclesiae suae ». <sup>46</sup>

Idem quoque argumentum sed magis evolutum apud Martinum Bronskyj in ejus « *Apocrisi* » invenitur. <sup>47</sup>

A supra memoratis auctoribus multum etiam Meletius Smotryckyj pendet, <sup>48</sup> qui contra primatum Romani Pontificis, praesertim in *Antigraphe*, in *Threnos*, in *Elencho* et in *Codice manuscripto* calamo decertavit. Vestigia hujus doctrinae vidimus etiam in « *Palinodia* » <sup>49</sup> Zachariae Kopystenskyj, etsi ipse in illa magno opere non immoratur.

His praemissis, vidimus Ps. Nathanaëlem in capite septimo « *Libri de fide* » exposuisse doctrinam non suam, sed polemistarum ucraïnorum, qui a protestantibus pendent. Certo certius ipse eorum operibus utebatur et praesertim « *Palinodia* », quia eandem divisionem quaestionis cum illa servat et operibus Meletii Smotryckyj, <sup>50</sup> quod etiam similitudines in expressionibus suadent.

2. - Ad caput 8 « *Libri de fide* » quod attinet, illud non nisi objectiones dissidentium ex Sacra Scriptura et Traditione petitas contra primatum Petri continet. <sup>51</sup>

Interest autem nostrum quibus fontibus directis in hoc capite scribendo Ps. Nathanaël utebatur. Sicut et caput 7 ita etiam caput 8,

<sup>45</sup> RIB, XIX, col. 1125-1126.

<sup>46</sup> *Kazanje sv. Kyrilla*, PURML, t. V, p. 73.

<sup>47</sup> *Apocrisis*, pars tertia, Responsiones, RIB, VII, col. 1338-1340.

<sup>48</sup> Cfr. S. SABOL, *o.c.*, p. 189.

<sup>49</sup> « *Palinodia* », pars I, c. I, art. I, RIB, IV, col. 336-340.

<sup>50</sup> Haec sunt: *Antigrafe*, in qua (RIB, XIX, col. 1285-1286) sermo est de unico Pastore Christo et (*ibidem*, col. 1174) de unico fundamento Ecclesiae; *Codex manuscriptum*, in quo dissertatio est (PURML, V, p. 297) de unico fundamento; *Elenchus*, ubi quoque sermo est de unico Capite (AJZR, I, t. VIII, 616, 622-624) et de unico Pastore Christo (*ibidem*, 655).

<sup>51</sup> Doctrinam catholicam de primatu Petri videas e.g. apud D. PALMIERI, *De Romano Pontifice*, ed. IV, Romae 1931, p. 7-132; S. TYŠKEVYČ, *Učenije o Cerkvi* (Traité de l'Eglise), Parisiis 1931, p. 201-223, ubi etiam responsiones ad objectiones invenies. Insuper de primatu apud Johannem Chrysostomum, quem citat Ps. Nathanael, videas innumera testimonia, quae collegit et explicavit Card. Nicolaus Marini in opere « *Il primato di San Pietro e dei suoi successori in S. Giovanni Crisostomo* », ed. II, Romae 1922; cfr. praesertim p. 32 ss. 66 ss. Quod Theophylactus, quem quoque citat noster auctor, antiquorum instar primatum Petri aperte docuit, videas JUGIE, *o.c.*, I, p. 285-6.



censemus, Ps.Nathanaëlem propria manu scripsisse, id est non simpliciter ex aliquo scripto transcripsisse. Attamen non est dubium, quod ipse utebatur « *Libro de fide* » Basilii Suražskyj,<sup>52</sup> « *Apocrisi* » Martini Bronskyj<sup>53</sup> et « *Palinodia* » Zachariae Kopystenskyj,<sup>54</sup> ut ex comparatione illorum operum cum « *Libro de fide* » Ps.Nathanaëlis apparet.

3. - Omnibus quoque perspectam supponimus doctrinam catholicam de primatu et potestate Romani Pontificis,<sup>55</sup> quae in Sacra Scriptura et Traditione fundatur, proinde necessarium non videtur nobis, ut in expositione istius doctrinae, argumentis scilicet Ps.Nathanaëlis in capite 20 nostra argumenta contraponentes, immoremur.

Doctrina autem, in capite 20, a Ps.Nathanaële exposita propria non est, sed Zachariae Kopystenskyj adscribitur, quam auctor noster ex « *Palinodia* » transcripsit.<sup>56</sup>

4. - Caput autem 19 « *Libri de fide* » Ps. Nathanaël ex integro transcripsit ex « *Palinodia* ».<sup>57</sup> Fons autem remotus ad Sedis Constanti-

<sup>52</sup> RIB, VII, col. 784-745. Agitur nempe de hoc loco, ubi Basilius doctrinam Barlaami Calabri exponit. Barlaamus autem illam doctrinam in epistola ad quemdam Franciscum Ecclesiae Romanae magistrum habet. Publicata est haec epistola in PG, 151, col. 1255-1280.

<sup>53</sup> RIB, VII, col. 1352-1392. De dependentia Martini Bronskyj a protestantibus videas C. STUDYNSKYJ, *Perestoroħa, o.c.*, p. 169 ss.

<sup>54</sup> RIB, IV, col. 336-352, 398-406, 409-415, 429. De dependentia autem hac in re Zachariae Kopystenskyj ab opere Marci Antonii De Dominis (1560 - † 1624) « *De Republica Ecclesiastica* », videas A. IŠČAK, *op. cit.*, IX (1931), p. 335-336; X (1932) p. 101-133.

<sup>55</sup> Videas e.g. A. PALMIERI, *o.c.*, p. 133-175; S. TYŠKEVYČ, *o.c.*, p. 224-265. De causa Honorii in specie videas A. VOLKONSKYJ, *Catholicismus et Sacra Traditio Orientis* (russice), Parisiis 1933, p. 295-310. Quoad canones, quos citat Ps. Nathanaël quique, secundum dissidentes hodiernos, contra primatum Romani Pontificis lati dicuntur, dicimus illos vel nil contra primatum habere vel omni vi canonica privari. De canone 6 Con. oec. I (325) videas ZAPELENA, TH., *De Ecclesia Christi*, I, p. 366. De tota quaestione canonis 3 Conc. oec. II (381) videas S. Gregorii Magni epistolam XXXIV, PL, 72, col. 893; A. COUSSA, *Epitome praelectionum de jure ecclesiastico orientali*, I, p. 53, 54; F. CALLAËY, *o.c.*, I, p. 324-5. Canon 28 conc. Chalcedonensis (451) non fuit decretum totius concilii et a Papa S. Leone Magno non fuit approbatum; immo, ipse imperator Marcianus et archiepiscopus Constantinopolitanus Anatolius illum reiecerunt. Videas litteras S. Leonis Magni ad Marcianum et Pulcheriam imperatricem, PL., 54, col. 991-1009. Cfr. TH. HRAPIN, *Primatus Pontificis Romani in Concilio Chalcedonensi et Ecclesiae dissidentes*, Ad. Claras Aquas 1923; M. JUGIE, *o.c.*, I, p. 50-66, 86-99; S. TYŠKEVYČ, *o.c.*, p. 282-308. Canon 36 synodi Trullanae nonnisi renovatio canonis 28 Chalcedonensis est. Romani Pontifices illum non approbaverunt; cfr. M. JUGIE, *o.c.*, I, p. 96.

<sup>56</sup> Cfr. « *Palinodia* », pars II, c. IX, art. 2 (RIB, IV, col. 710-721); c. XII, art. 6 (RIB, IV, col. 926-927); c. II, art. 1 ejusdem partis (RIB, IV, col. 525-531); *Antigraphe* Meletii Smotryckyj, RIB, XIX, col. 1285-1286.

<sup>57</sup> « *Palinodia* », Appendix, RIB, IV, col. 1151, 1154, 1158, 1161, 1163, 1168.

nopolitanae originem Apostolicam attribuendam, fabula cujusdam Procopii presbyteri « *De septuaginta discipulis Domini et duodecim Apostolis* » extitit.<sup>58</sup>

Haec est analysis tractatum indolis ecclesiologicae « *Libri de fide* ».

His expositis, ad ceteros tractatus « *Libri de fide* » nobis transeundum est.

---

<sup>58</sup> De hac fabula videas M. JUGIE, *o.c.*, I, p. 73.



## CAPUT IV

# BREVIS CONSPECTUS IN CETEROS TRACTATUS ET MOMENTUM LIBRI APUD ORTHODOXOS

ART. 1: DE MYSTERIO SS. TRINITATIS ET DE EUCHARISTIAE SACRAMENTO. — ART. 2: DE VIVIFICANTE CRUCE, CULTU IMAGINUM, IEIUNIO ET DE CANTU ECCLESIASTICO. — ART. 3: DE NOVISSIMIS. — ART. 4: EXPOSITIO DIVERGENTIARUM INTER ECCLESIAM LATINAM ET ORIENTALEM. — ART. 5: DE MOMENTO « LIBRI DE FIDE » APUD ORTHODOXOS.



## CAPUT IV

### **BREVIS CONSPECTUS IN CETEROS TRACTATUS « LIBRI DE FIDE » ET MOMENTUM EIUSDEM APUD ORTHODOXOS**

In duobus capitibus praecedentibus analysi subiecimus tractatus indolis historicae et ecclesiologicae, qui vero tractatus plus minusve nexu logico inter se conjuncti sunt, contra primatum scilicet Romanum diriguntur. Attamen praeter illos tractatus, ut supra notavimus, « *Liber de fide* » adhuc alios tractatus continet. De his nobis agendum est in presenti capite, cui in extrema parte animadversiones aliquas de momento « *Libri de fide* » apud Dissidentes adjungemus.

#### **Art. I. — De mysterio SS. Trinitatis et de Eucharistiae Sacramento.**

##### *I. - De mysterio SS. Trinitatis:*

Quaestio duobus capitibus a Pseudo-Nathanaële pertractatur, nempe capite 29 (f. 258-267), ubi auctor totis conatur viribus atque pluribus citationibus Sacrae Scriptura praesertim Veteris Testamenti demonstrare vult hanc veritatem jam in Vetere Testamento revelatam esse; atque capite 4 (f. 39-44), in quo polemicam impugnationem dogmatis catholici de processione Spiritus Sancti a Patre Filioque exhibet.

A. En testimonia V. T. de SS. Trinitate secundum nostrum auctorem: Gen. 1, 26-27 (cum interpretatione Basilii M., J. Chrysostomi aliorumque); 3, 22; 18, 1-3 (una cum Act. Apost. 7, 2); Is. 6, 3; 7, 14; 9, 6; 11, 2. Ier. 10, 10; 11, 19; Ezech. 1, 4; Dan. 7, 13-14; Amos 4, 12; 7, 8; Jona 2, 1; Mich. 5, 2; Naum, 3, 5; Habacuc 3, 2; Soph. 1, 7; Zachar. 2; Malach. 1, 6; 3, 1. Ad Novum Testamentum quod attinet, dicit Pseudo-Nathanaël, quod de SS. Trinitate omnes libri N. T. testimonium exhibent.

De illis citationibus dicimus solummodo, quod majore ex parte, praesertim ad prophetas quod attinet, inepte adhibitae sunt, quamvis non negamus in V. T. adumbrationes veritatis mysteri SS. Trinitatis pluribus in locis adesse.<sup>1</sup>

---

<sup>1</sup> Cfr. P. PARENTE, *De Deo uno et trino*, Romae 1949, p. 202-208.

B. De processione Sancti Spiritus: - Post praefationem in qua animadvertit Auctor, Ecclesiam Orientalem doctrinam de processione Spiritus Sancti integram tenere sicut et ipse Christus docuit (Jo. 15, 26), aggreditur explanationem istius doctrinae. Affirmationes ejus principaliores hae sunt:

1. - Sanctus Spiritus procedit a solo Patre;

2. - Unicum principium est in Deo, scilicet Pater, a quo Filius et S. Spiritus procedit.

3. - Spiritus Sanctus sicut cum Patre ita cum Filio unicum est ens.

4. - Proprietates personales singulae personae proprias habent.

Principaliora argumenta scripturistica sunt: Mt. 3, 16; Jo. 14, 16. Auctor distinctionem facit inter « mittere » et « procedere ». « Aliud est-dicit Auctor-missio et aliud processio; mittit Filius Spiritum, sed adjungit » qui ex Patre procedit; « ab illo (Patre) et ipse Spiritus Sanctus mittit Filium secundum prophetiam Isaiae: Dominus misit me et Spiritus ejus Spiritus Domini super me ».<sup>2</sup> Verba autem Christi « ...quia de meo accipit » (Jo 16, 14) intelligi debent: « ab ejus » (Christi) Patre, a quo ipse generatur. Deinde adducit auctor, ut ipse affirmat, verba Apostoli Andreae, asserentis: « Spiritus Sanctus a Patre procedit et in Filio manet ».<sup>3</sup>

Deinde noster auctor testimonia Patrum haud pauca offert et in primis citationem ex « *De divinis nominibus* » (11,7 Pseudo Dionysii), quae ita sonat: « Patrem quidem esse originem in divinis. Jesum vero et Spiritum Sanctum quasi Dei prolem, vel si dictu fas sit, quasi germina divina, flosve ac lumina supersubstantialia existere; quo nam autem pacto sese habeant neque eloqui neque intelligere valemus ».<sup>4</sup> Affirmat auctor, secundum Basilium Magnum Gregorium Theologum, Chrysostomum, Athanasium et Cyrillum Alexandrinum, Damascenum et Theophylactum Spiritum Sanctum a solo Patre procedere, quod vero etiam decretis conciliorum comprobatur. In ipsa enim Ecclesia Latina decursu primi millenii haec doctrina etiam viguit.<sup>5</sup>

<sup>2</sup> L.F. f. 40 v.

<sup>3</sup> Hoc dictum sumit auctor a « *Libro Azariae* ». Auctor autem « *Libri Azariae* » dicit se verba S. Apostoli Andreae ex epistola presbyterorum Achaiae sumpsisse. Videas AJZR, pars I, t. VIII pp. 183-185.

<sup>4</sup> Cfr. PG., 3 col. 646 B.

<sup>5</sup> Ipse citat introductionem S. Hieronymi ad « *Liber Didymi Alexandrini de Spiritu Sancto* »: « Legi dudum cujusdam libellos de Spiritu Sancto; et iuxta Comici sententiam ex Graecis bonis Latina vidi non bona. Nihil ibi dialecticum, nihil virile atque districtum... Certe qui hunc legeret, Latinorum furta cognosceret et contemneret rivulos cum coeperit haurire de fontibus »; cfr. PL, 39, col. 1032, 1034. Quibus verbis probare vult libros Latinorum jam ab antiquitate suspectos fuisse, dum libros Graecorum etiam eximii Latini magni existimaverunt.

Nunc vero Latini hac in re « expliciti haeretici sunt ».<sup>6</sup>

Haec est expositio doctrinae de processione Spiritus Sancti, cujus artifex Pseudo-Nathanaël est. Nam refert quidem ipse traditionalem doctrinam dissidentium, sed sine eruditione qua pollebant polemistae anteriores, ut Basilius Surazskij<sup>7</sup> et Meletius Smotryckij.<sup>8</sup>

Nostrum non est disceptare cum auctore « *Libri de fide* »; doctrinam enim catholicam de processione Spiritus Sancti fundamentum in Sacra Scriptura<sup>9</sup> et in Traditione<sup>10</sup> habere atque non solum ab omnibus doctoribus catholicis, sine haesitatione, acceptatam esse, sed nec in tali viro ut Petrus Mohyla inimicum habuisse.<sup>11</sup>

Tandem notandum est: directus et principalis fons in hisce capitibus conscribendis « *Liber Azariae* » (pars. I cap. 1,8) extitit, et hoc plures similitudines suadent.<sup>12</sup>

## II. — De Sanctissimae Eucharisiae Sacramento:

Quaestionem de SS. Eucharistiae Sacramento in capitibus quinto (f. 45-50) et sexto (f. 50-54v) Ps.-Nath. tractat.

A. — In capite 5 auctor totus est in demonstrando Christum SS. Eucharistiam in pane fermentato et non in azymo instituisse, et usum panis azymi ad Eucharistiam conficiendam ex Romana traditione non autem Apostolica esse. Notum tamen est Pseudo-Nathanaëlem quaestionem illam sub aspectu dogmatico et non rituali tractare.

Ipse tenet sententiam Christum, secundum testimonia Evangelii, in ultima Coena panem fermentatum comedisse, quem panem Apo-

<sup>6</sup> « Sutj javnii jeretycy »; LF, f. 44v.

<sup>7</sup> Cfr. RIB. VII, col. 662-735.

<sup>8</sup> Cfr. ex. gr. « *Antigrafe* » (RIB. XIX, col. 1185-1213).

<sup>9</sup> Videas JUGIE M., *De processione Spiritus Sancti ex fontibus Revelationis et secundum Orientales dissidentes*, « Lateranum » Romae 1936, p. 44-95.

<sup>10</sup> Verba Pseudo Dionysii (*De div. nom.*, II, 7), quae citat auctor, nihil habent, quod doctrinae catholicae adversetur, quia numquam Catholici contenderunt Filium esse fontem divinitatis; Cfr. JUGIE, *Dogmatica*, II, *op. cit.* p. 490-1; cfr. p. 285. Quod SS. Athanasius et Cyrillus Alexandrini, Basilius M., Gregorius Theologus et Damascenus doctrinam catholicam tenent videas M. JUGIE, *De processione Spiritus Sancti*, *op. cit.* pp. 135-136, 138-143, 146-154, 154-161, 186-190. Ad Joannem Chrysostomum quod attinet, videtur ipsum una cum aliis doctoribus Scholae Antiochenae docere Spiritum Sanctum a Patre procedere; de processione vero a Filio ipse tacet. M. JUGIE, *De processione Spir. S.*, *op. cit.* p. 167-168; M. GORDILLO, *o.c.*, p. 99-100. Ad Theophylactum Bulgariae archiepiscopum quod spectat, notamus ipsum de Patrum doctrina nihil habere et totum Photianum esse. De doctrina Photii et Theophylacti videas M. JUGIE, *De processione Sp. S.*, *o.c.*, p. 284-312, 318.

<sup>11</sup> ŠMURLO E., *Le Saint-Siège et Orient Orthodoxe Russe (1609-1654)*, Prague 1928, pars II, p. 159.

<sup>12</sup> AJZR, 1. cit. p. 124-179; 181-220; cfr. E. KALUZNIACKIJ, *o.c.*, p. 7.



stoli semper ad Eucharistiam conficiendam adhibuerunt. Similiter et omnes Christiani facere debent, ut canones Apostolorum et Patrum referunt. Sane quidem canones usum panis azymi prohibent, quia « sicut diversus est homo ab cadavere, ita diversus est panis fermentatus ab azymo ».<sup>13</sup>

Inter alia auctor « *Libri de fide* » aliqua effata contra panem azymum in medium profert, quae sic enucleari possunt: 1. — Panis azymus est res judaica, ad vetus Testamentum pertinens et in Novo T. valorem non habens; 2. — Panis azymus non est verus panis (ἄρτος); 3. — Panis azymus est res mortua.<sup>14</sup>

In extremo autem capite quinto animadvertit auctor Christum esse Sacerdotem secundum ordinem Melchisedec, ergo sicut Mechisedec pro Sacrificio conficendo pane fermentato usus est, ita et « Semper aeternus Sacerdos sub specie panis et vini sanctissimum Corpus suum et Sanguinem manducare in salutem jussit ».<sup>15</sup>

B. — Hisce expositis aggreditur Pseudo-Nathanaël in capite sexto doctrinam de modo quo Eucharistiae Sacramentum fidelibus ministrari debet.

Hac in re ipse non dubitat adesse Christi praeceptum pro omnibus sive sacerdotibus sive laicis sub utraque specie communicandi. Secundum auctorem, Ecclesia Latina sub una specie communionem fidelium servans, divinum praeceptum transgressa est.

En argumenta, quae sententiam ejus probare debent: S. Scriptura: Prov 9,5; Pss. 22,5; 115,13; 35,9; Mat. 26,27; Jo. 6,53 una cum Mt. 24,35; I Cor. 10,16,20. — Patres: Joannis Chrysostoni commentarium in Ep. I ad Cor. Homilia 24;<sup>16</sup> Ignatii M. Epistola ad Philadelphienses;<sup>17</sup> (interpolata) Epistola Papae Gelasii ad Majoricum et Joannem episcopum.<sup>18</sup>

Contra ordinationem Papae Gelasii tamen, animadvertit auctor, Ecclesia Latina in concilio Constantiensi (1415) decretum edidit<sup>19</sup> quo fidelibus communio sub utraque specie interdicitur. « Hoc facto — ait auctor — magnum malum fecerunt homines Ecclesiae Occidentalis, quia violationem aeterno praecepto Filii Dei intulerunt ».<sup>20</sup>

In fine ipse historiam introductionis Communionis sub una specie in Ecclesia Latina enarrat: Haeresis illa a Manichaeis originem suam

<sup>13</sup> L.F., f. 47.

<sup>14</sup> L.F., f. 47v-48.

<sup>15</sup> L.F., f. 49v.

<sup>16</sup> Cfr. PG. 61 col. 199-220.

<sup>17</sup> Cfr. P.G. 5 col. 822C.

<sup>18</sup> Cfr. PL, 59 col. 141. Meminit quoque Ps. Nathanaël S. Cyprianum (Epistola ad Papam Cornelium) et Ambrosium (Epistola ad Theodosium).

<sup>19</sup> Cfr. MANSI, XXVII, col. 727-278.

<sup>20</sup> L.F., f. 53.

ducit, contra quos pugnavit strenue Papa Leo Magnus (Sermo 4 de quadragesima). Tempore autem Gelasii Papae etiam aliqui fideles Latini unam dumtaxat speciem sumebant. Hac de causa Gelasio solemni lege sancire oportuit, ut quotquot ad sacram mensam accesserint utramque acciperent speciem.<sup>21</sup>

Postea autem « superbus » Innocentius a fidelibus calicem abstulit. Attamen non omnes Christiani hanc « haeresim » acceperunt. Praecepto Christi fideles Graeci, Bulgari, Serbi, Rutheni (Ucraini), Russi, Germani et Bohemi remanserunt.

### III. — Animadversiones:

1. — Quidquid dicant auctores de tempore Ultimae Coenae et pane, quem Christus ad Eucharistiam instituedam adhibuit, secundum doctrinam catholicam uterque modus licitus est.<sup>22</sup> Pseudo-Nathanaël tamen affirmat Christum in Ultima Coena ad Eucharistiam conficiendam fermentatum adhibuisse. Sed tamen notandum est, quod in tota polemica anticatholica theologi dissidentes idem non sentierunt. Haec varietas jam apud theologos Caerulianos apparet<sup>23</sup> et adhuc magis ex eorum successoribus depraehenditur.<sup>24</sup> Ut vidimus, Pseudo-Nathanaël tenet nunquam tempore Apostolorum panem azymum adhibitum esse in Eucharistia. Attamen notum est, quod quidam Orientales usum panis azymi tamquam ex origine Apostolica concedunt.<sup>25</sup> Ad effatta tamen ab Pseudo-Nathanaël prolata quod attinet, animadvertimus illa a theologis Caerulianis originem suam ducere.<sup>26</sup> Fons autem directus ad caput 5 « *Libri de fide* » exarandum, « *Liber Azariae* » extetit.<sup>27</sup>

2. — Fundamentalis thesis in capite sexto est: adesse praeceptum Christi pro omnibus sumendae Eucharistiae sub utraque specie. Quid dicendum de veracitate hujus affirmationis? — Doctrina catholica hac de re ita sonat: Nullum extat divinum praeceptum quo laici et clerici non confidentes obligantur ad Eucharistiam sub utraque specie sumendam; sed ulterutrius speciei communio ad salutem sufficit.<sup>28</sup>

<sup>21</sup> Cfr. PL, 1, cit.

<sup>22</sup> Hoc de fide est, ut patet ex Conc. Florentino: « Definimus... in azymo sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici » (DENZINGER, *Enchiridion Symbolorum*, n. 692). Ad liceitatem insuper quod spectat, viget Codicis Juris Canonici praescriptio: « In Missae celebratione sacerdos secundum proprium ritum debet panem azymum vel fermentatum adhibere ubicumque sacrum litet » (can. 816).

<sup>23</sup> Videas M. JUGIE, *Dogmatica*, I, o.c., p. 321-327.

<sup>24</sup> IBIDEM, III, 235-241.

<sup>25</sup> IBIDEM, I p. 311-312.

<sup>26</sup> IBIDEM, I p. 320-344.

<sup>27</sup> *Liber Azariae*, pars I cap. 9; cfr. E. KALUZNIACKIJ, o.c., p. 7.

<sup>28</sup> Cfr. Conc. Trident., sess. 21, cap. 1, § 2.

Ratio potissima huius assertionis in hoc ponitur, quod totus et integer Christus est sub alterutra specie. In Evangelio autem Joannis, 6,59, Christus de fructu Eucharistiae, nempe de vita aeterna loquens, eum tribuit sumptioni unius speciei: « Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt Patres vestri manna et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in aeternum ».

Notandum quoque est, quod neque rari casus communionis sub una specie in usu et disciplina veteris Ecclesiae fuerunt. Ita, qui domi se ipsos communicandi licentiam habebant, solam panis speciem sumebant. Item morientibus pro viatico Eucharistiam sub una tantum specie, panis scilicet, datam fuisse constat atque infantibus, duodecim saeculorum tractu, Eucharistiam modo sub sola vini, modo sub sola panis specie aliquando dispensatam fuisse. Porro certum est in Missa praesanctificationum apud Byzantinos, per longum tempus, tum sacerdotes, tum laici solam speciem consecratam panis participabant.<sup>29</sup> Inde id unum concludere licet: Ecclesiam numquam putasse modum S. Eucharistiam sumendi a Christo in Ultima Coena observatum ab ipso de necessitate salutis vel praecepto divino sine ulla mutatione praeceptum fuisse.<sup>30</sup>

## **Art. II. — De vivificante Cruce, de cultu imaginum, de ieiunio et de cantu ecclesiastico.**

### *I. — De vivificante Cruce (f. 67-75v):*

Tractatum de cultu S. Crucis dividit auctor in duas partes: 1. De signo et glorificatione S. Crucis; 2. De necessitate signi Crucis.

1. - Signum Crucis multas praefigurationes jam in V.T. habuit (cfr. Genesis 2,9; Arca Noe, baculum Moysis, serpens cupreus in arbore affixus, divisio Tabernaculi in 4 partes; Is. 60, 13; 66, 18, 19; Zacharias 12, 10; etc.). Sermo de Cruce ejusque gloria in N.T. invenitur apud: Mt. 24, 30; Jo. 3, 14; Apocal. 7, 3; I Cor. 1, 18-31.

Secundum vero testimonia scriptorum ecclesiasticorum, Sancti Apostoli Crucem eximiis venerationibus celebrabant. Etenim Crux Apostolos victores mundi fecit etc. SS. Patres, ut e.g. Joannes Chryso-

<sup>29</sup> Cfr. HONORATUS TOURNELY, *Praelectiones Theologicae de Augustissimo Eucharistiae Sacramento*, Venetiis 1731 p. 283-291; JUGIE, *o.c.*, III p. 307-308.

<sup>30</sup> De modo agendi Romanorum Pontificum: Leonis Magni et Gelasii, nec non de decreto Concilii Constantiensis videas TOURNELY, *o.c.*, p. 291-292, 280-283, 296-297.

stomus<sup>1</sup> et Joannes Damascenus<sup>2</sup> de Cruce pulcherrimos sermones habent.

2. - In secunda parte notat ante omnia auctor, quod si Crucem affixam ferimus, hoc ipso amorem erga Christum manifestamus. Quem tamen pudet Crucem portare, ille non est discipulus Christi. In signo vero Crucis mysterium quoque Sanctissimae Trinitatis glorificatur.

Ipse exhibet explanationem mysterii, quod in signo Crucis absconditum est: a) Unio trium digitorum manus unum Deum in tribus Personis significat; b) unio duorum digitorum indicis scilicet et medii mysterium Christi, in quo duae naturae, et una Persona, significat; c) quando ponimus digita super caput nostrum unicum nostrum Caput Christum esse significamus; d) quando ponimus digita super ventrem nostrum Incarnationem Ejus significamus; e) quando ponimus digita super dexterum brachium Christum sedere ad dexteram Patris significamus; f) quando denique digita in sinistrum brachium ponimus, significamus Christum tempore universali judici venturum pro eis, qui ad sinistram partem erunt, aeternam paenam et pro eis, qui ad dexteram partem erunt, aeternam vitam allaturum esse. Ut tamen signum Crucis prodesset nobis, debemus illud secundum praescriptionem facere.

## II. — De cultu imaginum (f. 76-82):

Caput 10 nexu logico cum capite praecedenti conjungitur. Ibi auctor probare vult cultum illum non in industria hominum, sed in praecepto divino originem habere. En argumenta scripturistica: V.T. - Exod 28, 36; 25, 18; Num 21, 8; Exod, 31, 1; 30, 25-29; 3 Reg. 6, 29; Ps. XXVI, 8; V, 8; 98, 5. In NT autem: « ab ipso Christo Domino imagines originem ducunt ».<sup>3</sup> Ad hand affirmationem comprobendam adducit auctor testimonia Evargii (*Historia Eccl., liber IV*), Nicephori Callisti<sup>4</sup> et Eusebii Caesariensis,<sup>5</sup> ubi sermo est de imaginibus Christi.

Post hac citat plures Patres, de cultu imaginum scribentes, necnon definitionem de sacris imaginibus sexti concilii oecumenici.<sup>6</sup> Breviter quoque recenset sanctos, qui in defensione sacrarum imaginum persecutionem passi sunt.

<sup>1</sup> *Sermo in pretiosae vitalisque crucis adorationem*. Media Hebdomata Jejuniorum (opus quod inter spuria recensetur); cfr. PG, 52 col. 838.

<sup>2</sup> Citat « *De fide Orthodoxa* », 1, IV, cap. XI; cfr. PG, 94, col. 1127-1134.

<sup>3</sup> *L.F.*, f. 77v.

<sup>4</sup> *Hist. Eccl.*, lib. II, cap. VII; cfr. PG, 145, col. 771-774.

<sup>5</sup> *Hist. Eccl.*, lib VII, cap. XVIII; cfr. PG, 20, col. 679.

<sup>6</sup> Cfr. MANSI, XIII, col. 378 ss.

In fine notat auctor cultum imaginum apud Orthodoxos relativum esse.

Fons directus illorum duorum capituum « *Liber Azariae* » extitit,<sup>7</sup> ex quo Pseudo-Nathanaël plura loca simpliciter exscripsit.

### III. — De ieiunio (f. 117v-132):

Materiam de ieiunio auctor in 3 partes dividit. In prima parte de momento ieiunii in V. et N. Testamento tractat; in secunda, de ieiunio Feriae IV, et VI dicit; in tertia demum de ebriositate disceptat.

1. - In primis auctor diversa facta ex Sacra Scriptura refert, quibus ieiunii momentum ostenditur. Ex illis qui ieiunium in V.T. observabant citat: Abel, Melchisedec, Moysem, David et Danielelem. Ex N.T. autem tamquam eximia exempla in observatione ieiunii offert Christum, Beatam Mariam Virginem, Joannem Baptistam et Apostolos, qui etiam ieiunium fidelibus observare praeceperunt, ut constat ex canone 69 Apostolorum. In fine enumerat plures sanctos, qui per longum tempus ieiunabant,<sup>8</sup> necnon de quadruplici ieiunio in anno sermonem habet.

2. - In parte secunda rationes adducit cur Feria IV et VI ieiunandum sit. Feria quarta Ecclesia Orientalis ieiunium observare praecipit, quia hac die creatura contra Creatorem rebellionem fecit (conjuratio Judae). Feria autem VI Christus crucifixus est. De ieiunio Sabbati agens,<sup>9</sup> asserit illud non solum in Sacra Scriptura fundamentum non habere, sed explicite canone 65 Apost. prohiberi.<sup>10</sup>

3. - In tertia parte (f. 128-132) totus est in ebriositate impugnanda, ex Sacra Sriptura et Patribus argumenta pandens.

Etiam in hoc caput exarandum Pseudo-Nathanaël ex « *Libro Azariae* » copiose haustus est.<sup>11</sup>

### IV. — De cantu ecclesiastico (f. 132-146v):

Ante omnia auctor animadvertit triplicem adesse modum orationis, id est: meditatio interior, oratio articulata et oratio-cantus. Postea de cantu Sacrae Sripturae testimonia in medium profert.

<sup>7</sup> « *Liber Azariae* », pars. II, cap. 4, 1; cfr. E. KALUŽNIACKIJ, o.c., p. 7; AJZR, 1. c., p. 74-93, 59-68.

<sup>8</sup> L.F., f. 120v.-123.

<sup>9</sup> L.F., f. 127-128.

<sup>10</sup> Sic dictus canon 65 Apostolorum ita sonat « Si quis clericus inventus fuerit die dominico vel Sabbato, excepto uno tantum, ieiunans, deponitur, si fuerit laicus segregatur »; PITRA J. B., *Juris ecclesiastici Graecorum historia et monumenta*, t. I, Romae 1864, p. 29.

<sup>11</sup> Cfr. AJZR, 1. c., p. 104-113; 326-344.

Postremo innumeros Patres recenset, qui de cantu ecclesiastico aliquid scripserint vel ipsi tamquam compositores canticorum ecclesiasticorum extiterint.

Utrum illud caput scriptum proprium Pseudo-Nathanaëlis repraesentet, an, sicut de ceteris tractatibus constat, ex aliis scriptus sit, nunc quidquid dici nequit.

### Art. III. — De novissimis<sup>1</sup>

Tractatus de novissimis Pseudo-Nathanaëlis quatuor capitibus constat, quae sunt:

Caput 11 - De animabus Sanctorum, paradiso, coelo et de regno Dei;

Caput 13 - De oratione pro defunctis;

Caput 14 - De Purgatorio;

Caput 30 - De Antichristo et fine mundi.

Ita nostram brevem expositionem de illis quaestionibus apud Ps-Nathanaëlem, una cum quibusdam animadversionibus, quinque sectionibus absolvemus.

*I. De animabus Sanctorum, paradiso, coelo et de Regno Dei* (f. 83-96).

Caput hoc dividit auctor in duas partes, quarum prima est de animabus sanctorum, altera vero de ceteris quaestionibus.

*A. Pars prima:* — Incipit illam partem auctor citationibus S. Sripturae: Mt. 13, 14; 13, 30; 13, 39-43; 25, 34; 25, 41; quibus probat in novissimo die pro justis remunerationem et pro peccatoribus damnationem futuram esse. Attamen animadvertit remunerationem et damnationem definitivam omnes homines simul accepturos esse.<sup>2</sup>

Cupientes autem scire modum, quo hoc intelligi debeatur remittit auctor ad Johannem Chrysostomum.<sup>3</sup> Quaestioni vero ubi nam resideant animae defunctorum, ipse verbis Ps. Athanasii respondet, nempe ejus *Responsa* ad Anthiochum ducem in medium profert. En summa eorum, quae in citatis responsis habentur.

Animae peccatorum in inferis, infra omnem terram et mare, animae vero justorum in paradiso sunt. Justi fruuntur gaudio san-

<sup>1</sup> Notandum est, quod in media tractatione de Novissimis Ps-Nathanaël etiam in capite 12 (f. 96-105v) de gloria et invocatione Sanctorum disserat. Ibi quasi totus est in citationibus S. Scriptorum de hisce rebus exhibendis.

<sup>2</sup> *L.F.*, f. 84.

<sup>3</sup> Ipse citat homiliam Chrysostomi « In epistolam ad Hebraeos », 11, 40; cfr. PG, 63, col. 192; et XXIX Hom. « In I Cor. »; cfr. PG, 61, col. 336.

ctorum, quod tamen pars est illorum felicitatis, et tristia, quam patiuntur peccatores, pars est illorum supplicii. Quippe in gehenna peccatores non vident justos, nec quisquam illic in tenebris existens suum proximum agnoscit.

Ad quaestionem autem de Lazaro et divite quod spectat, parabolice locutus est Dominus.<sup>4</sup>

In fine istius partis animadvertit quoque auctor, quod hoc modo de statu animarum post separationem a corpore etiam Justinus, Irenaeus et Tertullianus docebant, quorum tamen opera non citat, sed curiosos ad « *Antigraphe* » remittit.<sup>5</sup>

B. *Pars secunda*: — 1. De paradiso loquens Ps. Nathanaël fere totus est in exponenda SS. Patrum (Basili, Chrysostomi, Gregorii Theologi et Damasceni) doctrina de paradiso.

2. De coelo autem sermonem exhibens, simili modo se gerit. Cupientes funditus rem cognoscere ipse ad Ps. Dionysium (*De coelesti hierarchia*) remittit.

3. Specialem excursum de Regno Dei instituens, auctor illud Regnum ad mentem Chrysostomi et Theophylacti tanquam nuntium Evangelii atque vitam juxta idipsum intelligit.

## II. De oratione pro Defunctis (f. 105v-114).

Hoc capite in tractatione de triplici commemoratione defunctorum auctor diffusius immoratur.

Antequam tamen ad quaestionem illam explanandam perveniat, argumenta ex Sacra Scriptura et Traditione pandens, probare vult Sanctos pro defunctis orasse. Ipse citat: Baruch, 3, 4; II Mach. 12, 43; Judic. 11, 40; II Petri 1, 15; Auctor notat quod Liturgia, quae originem ab ipso Apostolo Jacobo ducit, quamque S. Basilius et S. Joannes Chrysostomus recognoverunt, orationes pro defunctis continebat. Demum plura testimonia Patrum jungit. Orationes autem illae pro defunctis, animadvertit idem auctor, « multum animae a corpore separatae juvant ». Ratio potissima in hoc ponenda est, quod anima a corpore separata in perpetuo timore invenitur. Proximi vero ejus, qui adhuc in vita sunt, misericordiam pro ea a Deo, orando, obtinere possunt.

Deinde auctor sibi proponit ut explicaret, cur in Ecclesia Orientali die tertia, nona et quadragesima post mortem commemoratio fit defuncti. Huic interrogationi duplici rationum serie respondet:

Series I: 1) Commemoratio mortuorum fit tertia die, quia

<sup>4</sup> Citat auctor Ps. Athanasii: Resp. 19, 20 et 21; cfr. PG, 28, col. 610A, C.

<sup>5</sup> Revera hac de quaestione auctor « *Antigraphe* » (M. Smotryckij) in capite VI (RIB, XIX, col. 1254-78) sermonem habet.

homo baptizatus est in nomine *Patris, Filii et Sancti Spiritus*; quia theologales tres sunt virtutes, fides scilicet spes et caritas, in quibus tota salus includitur;

2) Commemoratio mortuorum fit die nona, ad Deum implorandum, ut anima novem Angelorum choris aggregetur;

3) Commemoratio mortuorum fit denique quadragesima die, quia hic numerus (40, quadraginta) magnum momentum in Sacris Scripturis habet.

Series II: Commemoratio defuncti fit tertia, nona et quadragesima die quia: 1) Die tertia cadaver immutatur; 2) Die nona corpus omnino tabescit, solo corde a putredine intacto; 3) Die quadragesima etiam cor diluitur.

In fine notat auctor quod, Officio pro defunctis (*Panachida*) Orientales quamdam placentam, quae nomine « *colybarum* » nuncupatur, adsistentibus offerre solent.

### *III. De Purgatorio (f. 114-117v).*

Statim post tractationem de Oratione pro defunctis Ps. Nathanaël brevem disceptationem de Purgatorio habet, in qua demonstrare conatur purgatorium figmentum deceptionemque Latinorum esse.

Expositionem aggreditur verbis Evangelii secundum Lucam: « Et in his omnibus inter nos et vos, chaos magnum et firmamentum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare » (Lc. 16, 26).

Deinde notat in S. Scriptura duo solummodo loca pro defunctis indicata esse; de tertio autem Scriptura silet.

Christus non dixit quinque Virginibus: ite in Purgatorium ad purgandum, sed cathogorice pronunciavit: « Nescio vos ».

Tota autem difficultas in admittendo Purgatorio videtur tamen, secundum Ps. Nathanaëlem, in hoc esse, quod anima tamquam spiritus non potest igne materiali pati. Ad purgandam animam a minusculis maculis peccatorum venialium, juxta ipsum auctorem, orationes pro defunctis prolatae sufficere possunt.

Finem expositioni ponit auctor his verbis: « Qui credit Purgatorium esse, hic purgabitur in illo in saecula saeculorum ».<sup>6</sup>

### *IV. De Antichristo et fine mundi (f. 267v-283v):*

Quaestiones illas tractat Ps. Nathanaël in novissimo capite sui operis. Hac de ratione, cum in quaestione de fine mundi et de iudicio

---

<sup>6</sup> L.F., f. 117.



universali ipse plerumque cum Ctholicis conveniat, expositionem harum quaestionum omitimus.

Superest igitur nobis illustranda ejus doctrina de Antichristo, quam perstringendam accedimus.

Et ante omnia notandum est, auctorem jam in praefatione sui operis absque ulla haesitatione asseruisse Antichristum mox venturum esse.<sup>7</sup>

Expositionem autem in capite 30 incipit more solito, nempe citationibus Sacrae Scripturae, in quibus imago Antichristi modo summis adumbratur lineamentis, modo plene delineatur: Dan. 7, 8; Mt. 24, 4; Lc. 21, 8-9; I. Joan. 4, 1-3; II Tess. 2 (una cum interpretatione Chrisostomi);<sup>8</sup> 1 Jo. 2, 18.

Post haec testimonia auctor determinare conatur naturam et tempus actionis Antichristi. Autumat vero Antichristum ex muliere Judaica et quidem ex tribu Dan natum fore, in quo veluti Satanae spiritus incarnabitur.

Tempestate autem Antichristi, opinatur idem auctor, Henoch et Elias adventuros, secundum testimonium Apocalypseos (11, 3-7), de quo Damascenus quoque (*Fides Orthodoxa*, 1. IV, cap. XXVI) scribit.

De adventu praeterea Antichristi haec habet: « Plures jam Antichristi praecursores erant, sed ipsius adventus jam proximus est, secundum numerum 666, quem ipsum respicit (Apoc. 13, 18). Quis scit? forsitan annus 1666 manifestos praecursores vel etiam ipsummet patefaciet ».<sup>9</sup>

Actio autem Antichristi atque extensio ejus regni anno 1000 post nativitatem Christi cepta est (Apoc. 20, 2) magnamque destructionem in Ecclesia Occidentali perfecit. Spiritus ejus sensim sine sensu in regiones orientales propagatur et extenditur. Factum enim Unionis Ecclesiae Ucrainae et Alboruthenae cum Sede Romana nihil aliud est quam opera Antichristi. Nec excludit quod ejus regnum in Russia quoque Moscovitica propagabitur.<sup>10</sup>

Haec est brevis explanatio doctrinae, quam Ps. Nathanaël de Novissimis in suo « *Libro de fide* » exposuit.

#### V. Animadversiones:

1. *Ad caput 11:* — In primis animadvertendum est, quod etiamsi auctor nominat illud caput « De animabus sanctorum... », respicit tamen in genere animas mortuorum. In quaestione de statu animarum post separationem a corpore, Ps. - Nathanaëlem sententiam il-

<sup>7</sup> L.F., f. 3.

<sup>8</sup> S. JOHANNIS CHRYSOSTOMI, *In ep. II ad Thess.*, hom. IV; cfr. PG, 62, col. 1486.

<sup>9</sup> L.F., f. 270.

<sup>10</sup> Cfr. L.F., f. 270.

lorum theologorum dissidentium tenere, qui retributionem post mortem inchoatam et imperfectam propugnant.<sup>11</sup> Auctoritas vero principalis pro ipso — « *Responsa Ps. Athanasii* » sunt.

In hoc capite conscribendo, Auctor praeterea « Antigrahe » Meletii Smotryckij<sup>12</sup> et aliis scriptis polemistarum anteriorum libenter usus est.

2. *Ad caput 13:* — Etsi auctor « *Libri de fide* » purgatorium in sensu catholico negare ausus est, admittit tamen efficacitatem suffragiorum pro defunctis. Ergo statum medium saltem implicite agnoscit. Quoad commemorationem defunctorum, quae die tertia, nona et quadragesima post mortem fit, animadvertas velim dissidentes alii aliam significationem assignare.

Nonnulli, e.g. commemorationem quadragesimae diei cum duratione (etiam per quadraginta dies) itineris animae per aërea telonia conjungunt.<sup>13</sup> Alias rationes pro singulis commemorationibus « *Constitutiones Apostolicae* » (lib. VIII, c. 42), presbyter Eustratius, Simeon Thesalonicensis et Nicephorus Xanthopullus referunt,<sup>14</sup> quem ultimum noster auctor ex parte saltem pedetentim sequitur.

De his quaestionibus in Ucraina etiam Zacharias Kopystenskyj scripsit.<sup>15</sup> Ergo Ps. Nathanaël, magna cum probabilitate, ab illo dependet.

3. *Ad caput 14:* — Hic notandum est: positionem Ps. Nathanaëlis non quadrare omnino cum traditionali positione Orthodoxorum. Verum est generaliter dissidentes negare poenam ignis Purgatorii, attamen statum medium animarum plerique admittunt. Comparando tamen hoc caput cum capite praecedenti, obscuritas aliqua de mente Ps. Nathanaëlis notatur.

De Purgatorio agunt quoque Z. Kopystenskyj,<sup>16</sup> M. Smotryckij<sup>17</sup> et maxime Basilius Surazskyj,<sup>18</sup> qui omnes ante Ps. Nathanaëlem vixerunt, et a quibus ipse aliquid sumere potuit. Revera influxus Z. Kopystenskyj evidens apparet et omnino probatus.

4. *Ad caput 30:* - Ultimum manet nos, ut animadversiones quasdam de ultimo capite, de Antichristo videlicet, exhibeamus. In primis notandum est, doctrinam de Antichristo apud Ucrainos

<sup>11</sup> De illis videas doctissimam tractationem M. JUGIE, *o.c.*, IV, p. 63-80.

<sup>12</sup> « *Antigraphe* » I. c.

<sup>13</sup> M. JUGIE, *o.c.*, IV, p. 29.

<sup>14</sup> *IBIDEM*, p. 167-169.

<sup>15</sup> Cfr. AJZR, *o.c.*, p. 119-123; 306-13; 345-85.

<sup>16</sup> « *Liber Azariae* » (pars II, c. 9); cfr. E. KALUŽNIACKIJ, *o.c.*, p. 7.

<sup>17</sup> « *Antigraphe* », I. c.

<sup>18</sup> RIB, VII, col. 846 ss.

et Russos speciale momentum secum ferre.<sup>19</sup> Inde opportunum duximus saltem conspectum generalem de historia evolutionis ideae de Antichristo apud dissidentes Orientis slavici adumbrare.

A quo tempore certe idea illa divulgari in illis terris inceperit, nescimus. Novimus tamen quod a saec. XVI haec opera de Antichristo nota fuerunt: « *Sermo Ephrem Siri de Antichristo* », « *Andreae Constantinopolitani de novissimis temporibus et de adventu Antichristi* » et denique « *Papae Hipolliti Sermo de Antichristo* ».<sup>20</sup>

In his operibus exponebantur variae sententiae circa personam et actionem Antichristi, quin ipse cum Papa vel in modo particulari cum Ecclesia Latina conjungeretur.

A tempore vero, quo incipiunt conamina unionistica, nempe a saec. XVI exeunte, dissidentes ucraini et alborutheni introducunt in sua opera polemica et anticatholica illam mystico-apocalypticam ideam eamque cum Ecclesia Romana vel cum ipso Papa coniungunt, secuti hac in re haereticos protestantes. Etenim haec idea excogitata a Wicleff, propagata fuit ab anno 1520 a Luthero et deinde ab aliis protestantibus.<sup>21</sup>

Ex operibus protestanticis Germanorum transiit haec doctrina ad scriptores polonos. Notum est enim, quod jam anno 1563 in editione protestantica sic dictae « *Bibliae Radzivilli* » Papa appellatus est Antichristus et anno 1570 illam sententiam propagare conatus est scriptor polonus Martinus Krowicki in suo opere « *Effigies Antichristi* ».<sup>22</sup> In Ucraina prima vice, etsi pavide, illam ideam auctor « *Responsi ad Latinos ex eorum libris* » (cfr. p. 18) in medium protulit. Hunc secuti sunt alii, quos inter socinianus Motovylo, qui jussu principis Ostrožskij confecit refutationem libri Petri Skarga « *De Unitate Ecclesiae...* » (cfr. p. 19).

Opus Motovylo ad posterum tamen non pervenit, attamen ex epistola principis A. Kurbskij ad ducem Ostrožskij scimus, Motovylo conatum esse probare Papam esse verum Antichristum.

Attamen ipse Princeps Kurbskij, quamvis acerrimus inimicus Latinorum, contra diabolicam sententiam Motovylo strenue pugnavit.<sup>23</sup>

Illos praeterea secutus est notus nobis aliunde auctor I. Vyšenskyj

<sup>19</sup> Ad catholicos auctores quod spectat, copiosam bibliographiam invenies apud ANTONIUM PIOLANTI, *De Novissimis*, Januari-Romae 1950, p. 117, nota 3.

<sup>20</sup> Cfr. *Proischoždienije raskolničeskago učeniija ob Antichristie*, in « *Pra-voslavnij Sobesiednik*, II, Kazan 1858, p. 154.

<sup>21</sup> Suo tempore confutata a BELLARMINO; cfr. C. BELLARMINI, *De controversiis Christianae fidei adversus hujus temporis haereticos*, Parisiis 1602, I, lib. III, f. 196-210v.

<sup>22</sup> Cfr. C. STUDYNSKYJ, *Perestoroħa*, o.c., p. 153.

<sup>23</sup> Cfr. USTRJALOV N., *Skazaniija Kniazja Kurbskago*, o.c., p. 249.

in suo opere « *Brevis notitia de latinis incantamentis* ». Ipse tamen explicitè non esserit Papam esse Antichristum, dicit quod illi manet solummodo « ultimum gradum » facere, ut Antichristum generaret.<sup>24</sup>

Idea haec de Papa Antichristo jam ante promulgationem Unionis Berestensis (1596) operibus scriptorum, de quibus supra, sat divulgata erat et non parvum influxum in Orthodoxos exercebat. Hoc patet etiam ex eo, quod Hypatius Potij necessariam putabat specialem refutationem huius sententiae in sua « *Unione* ».<sup>25</sup>

Postquam vero Unio perfecta est, notus iam nobis Stephanus Zizaniij (cfr. p. 28-29) suam « *Defensionem S. Cyrilli de Antichristo* » vulgavit. In suo opere, inaudito hucusque modo, Ecclesiam Romanam carpit eamque regnum Antichristi appellat. Ipse nempe tenet quasi revelatam veritatem, finem mundi et secundum Christi adventum anno 8000 post mundum conditum futura. Quorum signa autem invenit in sequentibus eventibus: 1. Apostasia hominum ab Orthodoxa fide, quod Antichristi spiritum vel potius ipsum Antichristum patefacit (hos conceptus auctor saepe confundit); 2. Scissio Ecclesiae Romanae ejusque Capitis ab Ecclesia Orientali, etc. etc.<sup>26</sup> In vim huius scissionis superior omnium Antichristorum hodie est Papa.<sup>27</sup> Pro sua qualitate praecursoris vel ipsius Antichristi (solita confusio Zizaniij) Papa ausus est sequentes actiones contra Deum patrare: a) tribuit sibi non solum potestatem regalem, sed etiam divinam; b) subiecit sibi reges et regna, et honores fere divinos sibi usurpavit; c) immutavit calendarium et in hac immutatione, secundum prophetiam Danielis, spiritus Antichristi recognosci potest.<sup>28</sup>

De dependentia Zizaniij a protestantibus et praesertim ab opere Sibrandi Luberti erudite scripsit C. Studynskyj.<sup>29</sup>

Auctor autem « *Libri de fide* » in conscribendo suo ultimo articulo « De Antichristo » procul dubio operibus polemistarum, de quibus supra, usus est. Influxus praesertim Zizaniij ibi evidens est. Attamen notandum est ipsum non urgere ut personam Papae cum Antichristo jungat, sed potius de regno Antichristi loquatur, quod regnum eventus in Ecclesia Romana, quae ad Ecclesiam Orientalem referuntur, determinant. Insuper Ps. Nathanaël Antichristum anno 1666 venturum esse cum probabilitate admittit. Quae indicatio ut videbimus in novissimo articulo hujus dissertationis, magnum influxum in Russia Moscovitica habuit.

<sup>24</sup> Ak. JIZR, t. II, p. 264.

<sup>25</sup> RIB, VII, col. 145-146.

<sup>26</sup> *Kyrilova Knyha*, f. 39.

<sup>27</sup> IBIDEM, p. 47.

<sup>28</sup> IBIDEM, ff. 26, 46v, 21, 33.

<sup>29</sup> C. STUDYNSKYJ, *Perestoroħa, o.c.*, p. 162-166. De crisi operis Zizaniij videas quoque: *Proischoždienije raskolničeskago učenija ob Antichristie, o.c.*, p. 262-9; A. LYLOV, *O tak nazyvajemoj Kyrillovoj Knigie*, Kazan, 1858, p. 119-0; 145-9.

#### Art. IV. — Expositio divergentiarum inter Ecclesiam Latinam et Ecclesiam Orientalem

In capite 28, quod tamquam synthesis quaedam magnae partis « *Libri de fide* » extitit, auctor divergentias principales, inter utramque Ecclesiam vigentes, recenset.

Hae sunt:

1. Doctrina de processione Sancti Spiritus (cfr. c. 4 « *Libri de fide* »);

2. Diversus usus panis in Eucharistia conficienda (cfr. c.5);

3. Diversus modus communionis (cfr. c. 6);

4. In Ecclesia Orientali statim post baptismum Sacramentum Chrismatis confertur. Apud Latinos autem administratio hujus Sacramenti in posterius tempus differtur; necnon Latini baptizatos sale et saliva oblinunt;

5. Usque ad annum millesimum utraque Ecclesia nullum Caput Ecclesiae supremum et judicem omnium, praeter Christum admittebant. Ab anno millesimo sola Ecclesia Latina, contra S. Scripturam et canones Synodorum, episcopum Romae supremum Pastorem et judicem universalem habet (cfr. cc. 7, 8, 20);

6. Sola Ecclesia Latina post mille annos aliquos canones concilii oecumenici 2, 4 et 6 reiecit substituitque illos decretis Papae;

7. Sola Ecclesia Latina ignem materialem ad animas mortuorum purgandas admittit (cfr. c. 14);

8. Diversitas in observatione jejunii (cfr. c. 15);

9. Ecclesia Orientalis profitetur, quod post mortem, ante ultimum iudicium supremi Iudicis, sicuti Sancti omnibus bonis aeternis non perfruuntur, ita peccatores omnibus aeternis poenis non subiciuntur; dum Ecclesia Latina docet animas illorum mortuorum propriam sortem jam consecutam sese (cfr. c. 11);

10. Latini illicitam reformationem Kalendarii tempore Papae Gregorii XIII perfecerunt, quam reformationem tamquam anticononicam Orientales reiciunt;

11. Latini sanctam Liturgiam immutarunt illamque ubi et quoties haec eadem die volunt, celebrant;

12. Ecclesia Latina non servat caeremonias antiquas;

13. A tempore Papae Petri Balbutientis introducta est in Ecclesia Latina musica;

14. Latini signum Crucis quinque digitis faciunt, nec non uno digito hoc signum in terra faciunt idque pedibus proterunt;

15. Latini loco sacrarum imaginum (picturae) statuas sculptas habent, et venerantur;

